BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
16 G
46

M

13-7.A.115.

A IV C 31

AURELII AUGUSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

Pandectarum Publici Interpretis

AD LEGES

LIBRI PRIMI PANDECTARUM

Notæ, ſeu Breves Commentarii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA. VITTORIO EMANUELE

S. Andrea della Valle.

ROMÆ, M. DC. XCVII.

Typis Antonii de Rubeis propè S.Sylveſtrum de Capite in Via Vitis.

SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX

Titulorum Libri Primi Pandectarum.

ADoptionibus, & emancipationibus. pag.108.
Cõſtitutionibus principum. 78.
Diviſione rerum, & qualitate. 137.
Iis, qui ſui, vel alieni Juris ſunt. 97.
Juſtitia & Jure. 1.
Legibus, Senatuſque Conſultis, & longa conſuetudine. 58.
Officio Aſſeſſorum. 121.
Officio Conſulis. 159.
Officio ejus, cui mandata eſt juriſdictio. 214.
Officio Juridici. 213.
Officio Præfecti Auguſtalis. 195.
Officio Præfecti Prætorio. 160.
Officio Præfecti Vigilũ. 175.
Officio Præfecti Urbi. 163.
Officio Præſidis. 196.
Officio Prætorum. 173.
Officio Proconſulis, & legati. 179.
Officio Procuratoris Cæſaris, vel Rationalis. 210.
Officio Quæſtoris. 171.
Origine Juris, &c. 16.
Senatoribus. 151.
Statu hominum. 81.

Index Legum Libri Primi Pandectarum.

A

ADiri etiam. De offic. præfect. Urb. pag.170
Adoptare. De adoptionib. 131.
Adoptare. De offic. Jurid. 213.
Adoptio. De adopt. 118.
Adoptio non jure. De adop. 132.
Adoptiones. De adop. 134.
Adrogatio. De adop. 132.
Aliquando. De offic. Proconſ. 184.
Apud filium fam. De offic. præt. 173.
Apud vetuſtiores. De offic. præfect. vig. 175.
Ariſto. De diviſ. rer. 150.
Areſcuſa. de ſtatu hom. 90.

B

BArbarius. de offic. Præt. 174.
Beneficium. de conſtit. Princip. 80.
Benignius. de legibus. 66.
Breviter. de offic. Præfect. Præt. 160.

C

CAſſius. de Senator. 152.
Cognitio. de offic. ejus, &c. 219.
Congruit de offic. Præſid. 205.
Conſiliariis. de offic. aſſeſſ. 223.

Conſtitutiones. de conſt. princ. 80.
Conſulari fœminæ. de ſenator. 151.
Contra legem. de legibus. 70.
Cum adoptio. de adop. 113.
Cum de conſuetudine. de legibus. 74.
Cum igitur. de ſtatu hom. 81.
Cum legitimæ. de ſtatu hom. 92.
Cum lex. de legibus. 68.
Cum nepos. de adop. 112.
Curatores. de offic. procur. Cæſ. 212.

D

DE Jure, de iis qui ſui, vel alien. Jur. ſunt. 97.
De quibus. de legibus. 72.
Diem functo. de offic. aſſeſs. 222.
Diuturna. de legibus. 73.
Divus Marcus de offic. præſid. 206.

E

EMancipari. de adop. 130.
Emancipatum. de ſenator. 154.
Ergo omne ius. de legibus. 76.
Etiam cæcus. de adop. 114.
Etiam infantem de adop. 134.
Et ideo. de legibus. 63.
Et ideo. de offic. proconſ. 188.
Et legati. de offic. proconſ. 195.
Et qui uxores. de adop. 128.
Et ſervorum. de ſtatu hom. 83.
Et ſi pubes. de adop. 129.
Et ſi prætor. de offic. ejus. 218.
Eum qui. de ſtatu hom. 96.
Et ideo rationes, de legibus. 67.
Ex adoptivo. de adop. 126.
Ex his. de legibus. 61.
Ex hoc Jure. de Juſt. & Jur. 8.
Ex omnibus. de offic. præſid. 204.

F

FActurus. de orig. Jur. 16.
Filium. de ſenat. 156.
Filiosfam. de adop. 108.
Filium. de iis qui ſui, vel alieni jur. ſunt. 103.
Filiam ſenatoris. de Senator. 156.
Filiusfam. de iis qui ſui vel al. ju. ſunt. 106.
Fœminæ. de ſenator. 156.
Fraus enim. de legib. 70.

G

GEneralis, de adop. 108.
Generaliter. de offic. præſid. 203.

H

HÆc autem, de adop. 122.
Herennius, de ſtatu hom. 94.
His verbis, de adop. 121.
Homo liber, de ſtatu hom. 93.

I

IDem erit. de ſtatu hom. 90.
Ideo quia. de legibus. 69.
Illicitas. de offic. præſid. 198.
Illud obſervandum, de offic. præſid. 207.
Immo. de legibus. 75.
Imperator. de ſtatu hom. 86.
Imperator Adrianus, de ſtatu hom. 91.
Imperatores. de offic. præfect. Vigil. 179.
In adoptionibus. de adop. 112
In ambigua. de legibus. 66
Incivile eſt. de legibus. 68.
Ingenuum. de ſtatu hom. 95.
In conſilium. de offic. aſſeſs. 221.
In his. de legibus. 65.
In multis, de ſtatu hom. 87.
In omni. de adop. 115.
In orbe Romano. de ſtatu hom. 91.
In rebus. de conſtit. princip. 79.
In ſervitute de adop. 136.
In tantum. de diviſ. rer. 143.
Inviti. de iis qui ſui, vel alie., &c. 107.

Item

Item in poteſtate. de iis qui ſui, vel al. 101.
Item lapilli, de diviſ. rer. 141.
Jura conſtitui. de legibus. 60.
Jura non in ſingulas. de legibus. 62.
Juridico. de offic. Jurid. 214.
Juri operam. de Juſt. & jure. 1.
Jus autem. de Juſt. & jure. 10.
Jus civile. de Juſt. & Jure. 9.
Jus civile. de legibus. 68.
Jus pluribus de Juſt. & jure. 14.
Jus ſingulare. de legibus. 65.
Juſtitia. de Juſt. & jure. 13.

L

LEgati. de offic. Proconſ. 194.
Legatus Cæſaris. de offic. præſid. 209.
Legatus. de offic. proconſ. 193.
Legis virtus. de legibus. 61.
Lex eſt. de legibus. 58.
Lex naturæ. de ſtatu hom. 95.
Liberos. de Senat. 157.
Libertas. de ſtatu hom. 82.
Liberti. de offic. aſſeſs. 222.
Libertini. de ſtatu hom. 85.
Liberum arbitrium. de adop. 127.

M

MAgiſtratum. de adop. 111.
Mandata. de offic. ejus, &c. 218.
Mandatam. de offic. ejus, &c. 220.
Manumiſſiones, de Juſt. & Jur. 7.
Meminiſſe. de offic. Proconſ. 192.
Minimè. de legibus. 68.

N

NAm ad ea. de legibus. 61.
Nam civium. de iis qui ſui, vel alieni, &c. 101.
Nam & Demoſthenes. de legib. 59.
Nam & fœminæ. de adop. 122.
Nam & ipſum de Juſt. & Jur. 11.
Nam Imperator. de legibus. 75.
Nam ita, de adop. 132.
Nam ſalutem. de offic. præf. vig. 176.
Nam ut ait. de legibus. 64.
Nec adoptare. de offic. proconſ. 180.
Nec ei. de adop. 118.
Nec quidquam. de offic. proconſ. 188.
Neceſſarium. de orig. Jur. 17.
Nemo igitur. de diviſ. rer. 141.
Nepotes. de iis, qui ſui, vel al. &c. 103
Neque abſentes. de adop. 125.
Neque leges. de legibus. 63.
Non aliter. de adop. 121.
Non ambigitur. de legibus. 62.
Non eſt novum. de legibus. 69.
Nonnunquam. de adop. 129.
Nonnunquam. de Juſt. & Jur. 16.
Non omnium. de legibus. 67.
Non poſſunt. de legibus. 63.
Non poteſt filius. de adop. 128.
Non ſunt liberi. de ſtatu hom. 89.
Nulla juris. de legibus. 69.
Nuptæ. de ſenator. 158

O

OBſervandū. de offic. præſid. 208.
Obſervare de offic. proconſ. 181.
Officium conſulis. de offic. conſ. 159.
Omne jus. de ſtatu hom. 81.
Omne officium. de offic. aſſeſs. 221.
Omnes populi. de Juſt. & jur. 11.
Omnes proconſul. de offic. proconſ. 180.
Omnia. de offic. præfect. urb. 163.
Omnia. de offic. præſid. 204.
Onera. de adop. 135.
Origo. de offic. quæſt. 171.

P

PAtre furioſo. de his qui ſui vel al. 105.
Paulus. de ſtatu hom. 87.
Per adoptionem. de adop. 130.
Plebiſcito. de offic. præſid. 208.
Pluribus. de offic. præfect. vig. 175.
Poſt mortem. de adop. 125.

Præ-

Præfectus de offic. Præf. Auguſt. 195.
Præfectus urbi. de offic. præf. urb. 170
Præſidis nomen. de offic. præſid. 196.
Præſes 2. de offic. præſid. 197.
Præſes provinciæ 3. de offic. præſid. 197
Præſes provinc. 4. de offic. præſid. 198
Præſes provinc. 5. de offic. præſid. 198
Præſes provinc. 7. de offic. præſid. 202
Præſes alt. de offic. præſid. 209.
Prætor. de offic. prætor. 175.
Princeps. de legibus. 71.
Proconſul. de offic. proconſ. 179.
Proconſul ult. de offic. proconſ. 195.
Proconſules. de offic. proconſ. 194.

Q

QUæ acta. de offic. procur. Cæſ. 210.
Quæcunque. de offic. ejus cui, &c. 214.
Quædam. de diviſ. rer. 139.
Quem filius. de adop. 126.
Quæritur. de ſtatu hom. 87.
Quæſitum eſt. de adopt. 130.
Qui furere. de ſtatu hom. 93.
Qui in adoptionem. de adop. 124.
Qui indignus. de ſenator. 153.
Qui in utero 7. de ſtatu hom. 86.
Qui in utero 26. de ſtatu hom. 95.
Qui liberatus. de adop. 115.
Quod enim. de legibus. 61.
Quod non ratione. de legibus. 76.
Quod principi. de conſtit. princ. 78.
Quod ſi. de offic. procur Cæſ. 212.
Quod vero. de legibus. 65.
Quod ne curatoris. de adop. 113.

R

Riparum. de diviſ. rer. 143.

S

SAcra. de diviſ. rer. 149.
Sanctum. de diviſ. rer. 147.
Sæpè audivi. de offic. præſid. 203.
Scire leges. de legibus. 66.
Sed divi fratres. de diviſ. rer. 147.
Sed & ea. de legibus. 74.
Sed & poſteriores. de legibus. 69.
Sed etiam. de adop. 116.
Sed etiam. de offic. præt. 173.
Sed licet. de offic. præſid. 204.
Senatorem. de Senator. 152.
Senatores. de Senator. 157.
Senatoris filius. de Senator. 154.
Senatoris filium. de Senat. 153.
Senatus Conſulto. de offic. præſid. 207.
Septimo menſe. de ſtatu hom. 88.
Servus. de ſtatu hom. 88.
Si adrogator. de adop. 122.
Si conſul. de adop. 111.
Si de interpretatione. de legibus. 75.
Si dominus. de iis qui ſui, vel al. &c. 99.
Si eadem. de offic. aſſeſs. 222.
Si fortè. de offic. præſid. 207.
Si in aliam. de offic. proconſ. 187.
Si is, qui. de adop. 135.
Si is qui filium. de adop. 114.
Si judex. de iis qui ſui vel alieni, &c. 106.
Si pater familias. de adop. 116.
Si pater filium. de adop. 133.
Si pater naturalis. de adop. 127.
Si qua pœna. de iis qui ſui vel al. &c. 104.
Si quid erit. de offic. proconſ. 193.
Si quis nepotem. de adop. 114.
Si quis violaverit. de diviſ. rer. 151.
Solent etiam. de offic. Proconſul. 184.
Summa itaque. de ſtatu hom. 82.
Summa rerum. de diviſ. rer. 137.

T

Totum autem. de legibus. 77.

V

VEluti erga Deum. de Juſt. & Jur. 6.
Ut vim. de Iuſt. & Iur. 6.
Vulgò concepti. de ſtatu hom. 94.

FINIS.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM.

A

Actionis definitio. pag.77.
Actiones legitimæ. 21.
Actiones omnes ſunt ex Jure Civili. 9.
Adoptio quid ſit, & cujus auctoritate fieri debebat. 108.
Adoptio, quorum conſenſu debeat fieri. 112.
Adoptio jus adgnationis adfert. 124.
Adoptio naturam imitatur. 118.
Adoptari qui, & qui adrogari dicantur. 108.
Adoptio non jure facta, poteſt à Principe confirmari. 132.
Adoptare, & adrogare poſſunt ſpadones, non autem caſtrati. 110.
Adoptare, vel adoptari poteſt cæcus. 114.
Adoptare, vel adrogare non poteſt abſens, neque per alium. 126.
Adoptans, qua ætate præcedere debeat adoptatum. 118.
Adoptivi locum obtinet, ex adoptivo natus. 126.
Adoptati onera, ad patrem adoptivum transferuntur. 135.
Adoptati impuberis emancipatio. 129.
Adoptio dignitatem non minuit, ſed auget. 130.
Adoptari quis poteſt loco nepotis. 131.
Adrogato patrefam. liberi ejus fiunt nepotes adrogatori. 110.
Adrogatio facienda eſt cum cauſæ cognitione. 117.
Adrogatio pupillorum. 119 & *ſeq.*
Adrogator, an impuberi ſubſtituere poſſit. 123.
Adrogare non poteſt quis minorem, cujus tutelam, vel curam geſſit. 118.
Adrogati bona quoad uſum fructum tantùm adrogatori adquiruntur. 111.
Adrogari poſſunt etiam fœminæ ex reſcripto Principis. 122.
Advocatum quibus perſonas Proconſul debeat dare. 191.
Ædiles Plebis. 31.
Ædiles Curules. 36.
Afflicto non eſt afflictio addenda. 206
Alimentorum Cauſa. 107.
Amphitheatrum. 144.
Argentarii. 170.
Aſſeſſorum officium. 222.
Aſſidere Præſidi an poſſit quis in ſua Provincia.
Auditorium quid ſignificet. 123

B

Beneficii Principis interpretatio. 80.

C

Candidati Principis. 172.
Capſarii. 178.
Caſtrati. 110.
Celeres, qui, & unde dicti. 27.
Cenſores. 28.
Cenotaphium. 147.
Cœnaculum. 178.
Cives Romani qui. 91.
Collegia ſine Superiorum auctoritate ſunt prohibita. 169.
Conſtitutionũ aliæ perſonales ſunt, aliæ generales. 79.
Conſtitutiones poſteriores, potieres ſunt prioribus. 80. *in fine.*
Conſuetudo. Vide pag. 72. & *ſeq. uſque ad pag.* 77.
Conſuetudo inveterata pro lege cuſtoditur.

ditur. 72.
Conſuetudo quanto tempore, & quot exemplis inducatur. 73.
Conſuetudo eſt optima legum interpres. 75.
Conſuetudo errore inducta, non eſt ſervanda. 76.
Conſules, eorumque poteſtas. 28. & 159.
Conſulare Imperium annuum. 28.
Conſules etiam ex plebe creari placuit. 36.
Conſularis vir, conſularis fœmina. 151.
Conſules apud ſe ſervos ſuos manumittere poſſunt. 160.
Conſul, vel præſes poteſt apud ſemetipſum emancipari, vel in adoptionem dari. & etiam emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare. 111.

D

Decem viri legum conſcribendarum cauſa conſtituti. 33.
Decem viri litibus judicandis conſtituti. 37.
Decretum quæ deſiderant, non poſſunt expediri de plano. 189.
Delegatus, licèt aliàs ſit ordinarius, tamen vicedelegantis fungitur in cauſa delegata. 219.
Delicta quædam, licèt involuntaria, coercentur. 58.
Dictatores. 29.
Dignitas major eſt in virili, quàm in fœmineo ſexu. 152.
Dignitas patria quæſita per adoptionem, finita ea, deponitur. 115.
Dignitas quæſita liberis, propter caſum patris remoti à Senatu, auferenda non eſt. 156.
Dignitatem nemo poteſt à ſe abdicare. 209.
Domicilium habere poteſt quis duobus locis. 158.
Domini, qui ſuis ancillis peccandi neceſſitatem imponunt, earum poteſtate privantur. 166. *in fine.*

E

Edictum perpetuum. 82.
Edictum Principis. 121.
Emancipare poteſt quis filium, nepote in poteſtate retento, vel contra. 127.
Emancipare non poteſt pater filium invitum ſine juſta cauſa. 127.
Emancipare filium compelli non poteſt pater ſine cauſa. 128.
Epiſtola Principis. 222.

F

Faſces Magiſtratuum. 194.
Favore hominum introducta, non debent produci ad ſeveritatem. 69.
Filius quis dicendus. 103.
Filius juſtus quis ſit. 188.
Filii non rediguntur inviti in poteſtatem. 107.
Filiusfam. in publicis cauſis loco patris-familias habetur. 106.
Filiusfam. prætor apud ſe emancipari, vel in adoptionem dari poteſt 174.
Flumen publicum definitur. 142.
Flumina & portus uſu communia ſunt proprietate autem ſunt populi. 142.
Fœminæ claritatem generis quandiu retineant. 156.
Fœminarum conditio in multis deterior eſt, quam maſculorum. 87.
Furioſus & ſtatum, & dignitatem, &

& Magiſtratum, & poteſtatem, & dominium retinet. 93.
Furioſi cuſtodia. 206.

G

Gladii poteſtas: omnes meri Imperii ſpecies deſignare ſolet. 185

H

Haſta Decemviralis, & Centumviralis. 37.
Hermodorus Epheſius. 20.
Hæreditas per procuratorem non poteſt adquiri. 212.
Homines omnes aut liberi ſunt, aut ſervi. 82.

I

Imperium merum lege datur, & lex illud dat, cui vult, & in quantum vult. 202.
Imperium merum, & Imperium mixtum in quibus conſiſtat. 217.
Imperium merum non poteſt alteri mandari. 217.
Imperium mixtum, & Iuriſdictio mandatur. 217.
Iuriſdictione mandata, etiam Imperium mixtum videtur mandatum. 220.
Indignus inferiore ordine, indignior eſt ſuperiore. 153.
Infames poſſunt eſſe arbitri, & procuratores. 222.
Ingenui definitio. 84.
Infans quis. 134.
Innocens. Satius eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. 200.
Inſula quæ dicatur. 177.
Inſularii. 179.
Iudex an ſecundum ea, quæ ſciverit debeat judicare, an ſecundum ea, quæ producuntur in Iudicium. 199
Iudicandum eſt non exemplis, ſed legibus. 205.
Iudicare contra Conſtitutiones, vel contra Ius litigatoris quando quis dicatur. 15.
Iudex qualis eſſe debeat. 209.
Iudicia publica quare ſic dicta. 216.
Iuridici Alexandriæ officium, & poteſtas. 213. & ſeq.
Iure magiſtratus quæ competunt, mandari poſſunt. 215.
Iure Magiſtratus quæ competere dicantur. 216.
Iuriſdictionis definitio. 215.
Iuriſdictio contentioſa Tribunal exigit: Voluntaria exercetur de plano. 180.
Iuriſdictionem mandare aliud eſt, aliud Iudicem dare. 215.
Iuriſdictionem mandatam ſibi, mandare alteri nemo poteſt. 220.
Iuriſdictionem mandatam habens, Iudicem dare poteſt. 220.
Iuriſdictione mandata, non transferuntur ea, quæ ſpecialiter lege, &c. tribuuntur. 215.
Iuriſdictione mandata, non transfertur poteſtas cognoſcendi de venditione rerum pupilli, vel minoris. 218
Iuriſperitis publicè reſpondendi auctoritatem primus Divus Auguſtus conceſſit. 54.
Iuris finis. 81. in fine.
Ius eſt ars boni & æqui. 1.
Ius à Iuſtitia appellatum. 1.
Ius pluribus modis dicitur. 14
Ius totum in quibus conſiſtat. 77.
Ius omne hominum cauſa conſtitutum eſt. 81.

Ius omne aut conſenſus fecit, aut neceſſitas introduxit, aut firmavit conſuetudo. 76.
Ius omne vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. 81.
Iura conſtitui oportet in his, quæ ut plurimum accidunt. 60.
Ius ſingulare. 65.
Iuris præcepta univerſalia. 13.
Iuriſprudentia definitur. 13.
Iuſtitiæ definitio. 13.
Iuris ſtudium poſitum eſt in ediſcendo Iure publico, & privato. 3.
Ius publicum quid & in quibus conſiſtat. 3.
Ius privatum quid, & ex quibus præceptis collectum. 3.
Iuris naturalis definitio, & exempla. 4.
Iuris naturalis, & Iuris gentium differentia. 4. *in fin.*
Ius naturale, an ſit hominibus commune cum brutis propriè. 4.
Iura naturalia, an ſint immutabilia. 9.
Iuris gentium definitio & exempla. 6. *& ſeq.*
Ius gentium primarium, & ſecundarium. 12. *in fine.*
Ius Civile à Iure gentium diſtinguitur. 12.
Ius Civile definitur. 9. & 12.
Ius Civile conſtat ex ſcripto, aut ex non ſcripto. 9.
Iuris Civilis partes. 10. 21. & 26.
Iuris Civilis pars illa compoſita à prudentibus. 20.
Ius Civile Papirianum. 17. *in fine.*
Ius Civile Flavianum. 22.
Ius Civile Ælianum. 22.
Ius Prætorium, ſeu honorarium. 10.

L

Latinæ feriæ. 41.
Legatus Cæſaris. 223.
Legati Proconſulis officium. 180.
Legatus Proconſulis non habet ea, quæ ſunt meri Imperii. 193.
Legatus Proconſulis Iudicis dandi jus habet. 193.
Legati Proconſulum Tutores dare poſſunt. 195.
Legis definitiones. 58. *& ſeq.*
Lex Regia. 25. *in fine.*
Leges Curiatæ. 17.
Lex Tribunicia. 19.
Lex Hortenſia. 23.
Lex Valeria. 28.
Leges petunt Romani à Græcis per legatos. 18.
Leges XII. Tab. 19.
Leges Viceſimæ. 51.
Legis virtus. 61.
Leges injuſtę non ſunt leges. 60.
Leges non de una tantùm perſona, ſed generaliter conſtituuntur. 62.
Leges condere hodie ſoli Principi conceſſum eſt. 63.
Leges per deſuetudinem abrogantur. 72.
Legi fraudem quis faciat, & quis faciat contra legem. 70.
Leges priores ad poſteriores, & contrà poſteriores ad priores trahuntur. 69.
Legis ratio non ſemper reddi poteſt. 67
Legis parte tantùm propoſita, non eſt reſpondendum. 68.
Lex, cum in præteritum quid indulget, in futurum vetat. 68.
Leges ſcire. 66.
Legis vox ambigua, quomodo interpretanda. 66. *in fine.*

Leges

Leges benignius interpretandæ. 66.
Leges vel interpretatione, vel Iuriſdictione ſupplentur. 64.
Legum interpretatio, cui hodie data. 63.
Legum optima interpres eſt conſuetudo. 68.

Leges Conciliatæ.

l. 1. §. ult. ff. de offic. ejus. & l. 1. C. de offic. proconſ. 218.
l. 1. §. Igitur ff. de iis, qui ſui, vel al. jur. ſunt. & l. locum §. 1. ff. de uſufruct. 99.
l. 3. & ult. ff. de offic. aſſeſs. 224.
l. 3. §. cognoſcit ff. de offic. præfect. vigil. & l. Si vendit am ff. de peric. & commodo rei vend. 177.
l. de quibus, in fin. ff. de legibus, & l. 2. C. quæ ſit longa conſuet. 73.
l. filium ff. de iis qui ſui vel alien. jur. ſunt. & l. 1. §. Idem Julianus ff. de liber. agnoſc. 104.
l. homo liber ff. de ſtatu hom. & §. ult. Inſt. de Ingen. 93.
l. In tantum §. religioſum ff. de diviſ. rer. & l. Sabinus ff. com. div. 146.
l. Legatus ff. de offic. Proconſ. & l. à judice C. de Judic. 193.
l. Non ſunt liberi ff. de ſtatu hom. & l. quæres ff. de verb. ſig. 89.
l. Omnes proconſules §. ult. & l. apud proconſulem ff. de manum. vind. 180.
l. Senatoris filium ff. de Senat. & l. Senator. C. de dignit. lib. 12. 153.
l. Si de interpretatione ff. de legib. & l. 1. C. eod. 75. *in fine.*
Libelli. 221.
Libertas definitur. 82.
Liberi ex juſtis nuptiis patrem ſequuntur, vulgò quæſiti ſequuntur matrem. 92.
Litora maris ſunt communia. 140.
Litus maris quid ſit. 141.
Liberti, & libertini, qui. 8. & 85.

M

Magiſtratus qui in civitate Jura reddebant. 41.
Magiſtri equitum. 29.
Mandari quæ poſſint, & quæ non poſſint. 215. *& ſeq.*
Mandatur Iuriſdictio & mixtum Imperium, non autem merum. 217.
Manumiſſionis definitio & origo. 7.
Maritus pro uxore non tenetur regulariter. 182.
Matrimonium à filiofam. ſine conſenſu patris contractum, non poteſt à patre irritari. 88.
Medico imputari non debet eventus mortalitatis. 201.
Medico imputari debet quod per imperitiam commiſit. 201.
Monumentum quomodo à ſepulcro differat. 142.
Mulier, quæ prægnans ultimo ſupplicio damnata eſt, ſervatur donec pariat. 91.
Munera excecant etiam prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum. 208.
Muros violare, capitale eſt. 150.

N

Naſcituri, in quibus habeantur pro natis. 86. & 96.
Neceſſitas ſolet facere licitum, quod aliàs eſſet illicitum. 160.
Nepos ex filio, mortuo avo, quando reci-

reci-

recidat in poteſtatē patris ſui. 103.
Nobilitas ex patre ſolùm ducitur, non ex matre. 157.
Numularii qui eſſent. 167.

O

OBligationes penè omnes ex Iure gentium introductæ ſunt. 8.

P

PArtus monſtruoſi, aut prodigioſi non ſunt liberi. 89.
Pater filium, vel filius patrem Iudicem habere poteſt in his, quæ ſunt Iuriſdictionis voluntariæ. 173.
Patresfam. & filiifam. qui ſint. 101.
Patriæ poteſtatis ius proprium eſt civium Romanorum. 101.
Perſonarum diviſio prima. 82.
Perſonarum diviſio ſecunda. 97.
Pietas ſimulata, duplex eſt impietas. 200.
Plagiarii. 205.
Plebis à Patribus prima ſeceſſio. 23.
Plelis ſecunda ſeceſſio à Patribus. 34.
Pleb. ſcita. 23.
Pontificum Collegium. 21.
Portus quid ſit. 142.
Poteſtas dominorum in ſervos. 98.
Poteſtas parentum in liberos. 101.
Præfationes à promittentibus interpretaiionem ſunt præmittendæ. 16.
Præfectorius vir. 152.
Præfectus Auguſtalis, ſeu Ægypti. 196.
Præfecti Prætorio origo, & officium. 161. *Ab eo appellari non poteſt.* 162.
Præfecti Vigilum officium. 175. *& ſeq.*
Præfectus Vigilum, de quibus cognoſcebat. 176.
Præfectus Urbi quis olim eſſet. 41.
Præfecti Urbi officium. 163. *& ſeq.*
Præfectus Urbi relegandi, deportandique Ius habet. 164.
Præfectus Urbi, & Urbe, & Italia omni poteſt interdicere, & negotiatione, & pluribus aliis. 169.
Præfectus Urbi cum exierit centeſimum milliarium poteſtatem non habet. 170.
Præſidis nomen generale eſt, Proconſulis ſpeciale. 196.
Præſides propriè qui, & qui Proconſules. 197.
Præſes apud ſe adoptare poteſt, & emancipare filium, & manumittere ſervum. 197.
Præſes Provinciæ majus Imperium in ea provincia habet omnibus poſt Principem. 198.
Prætor Urbanus, & Peregrinus. 36. *&* 173.
Prætores fideicommiſſarii. 40.
Prætores varii. 39.
Prætor neque Tutorem, neque ſpecialem Iudicem ipſe ſe dare poteſt. 175.
Prætor, an verè fuerit ſervus errore Prætor factus. 174.
Prætorum edicta. 24.
Principi datum Imperium. 25.
Principis placitum legis habet vigorem. 78.
Princeps, An legibus ſit ſolutus. 71.
Princeps, An poſſit juſtas leges abrogare. 80.
Principis beneficium pleniſſimè interpretari debet. 80.
Proconſules qui, & de eorum officio. 179. *cum plur. ſeq.*
Proconſularia Inſignia. 179.
Proconſul poteſt aliquando mandare juriſdictionem etſi nondum in provinciam venerit. 184.

Pro-

Proconſul in ſua Provincia habet majus Imperium omnibus poſt Principem. 188.
Procurator Cæſaris, & Rationalis idem. de officio ejus ac poteſtate vide pag. 210. *cum plur. ſeq.*
Procurator Cæſaris in Provincia judicat inter fiſcum & privatos. 210.
Procurator Cæſaris jurisdictionem non habet in cauſis criminalibus, 213.
Procurator Cæſaris, neque vendere, neque donare poteſt rem Cæſaris, neque de ea tranſigere. 211.
Procurator Cæſaris, an, & quando poſſit Cæſari inſtituto heredi acquirere hæreditatem. 212.

Q

Quatuor Viri, qui curam Viarum gerebant. 38.
Quinque Viri, qui veſpertinis temporibus pro magiſtratibus fungebantur. 39.
Quæſtores 32.
Quæſtores parricidii. 32.
Quæſtoris creandi origo. 171.
Quæſtores unde dicti. 171. *in fine.*
Quæſturam plebeis communicari obtinuit. 172.

R

Rationalis & Procurator Cæſaris idem. 210.
Regia poteſtas. 27.
Regiones Urbis Romæ fuerunt quatuordecim. 176.
Rerum aliæ ſunt divini Juris aliȩ humani. 137.
Res ſacræ quænam ſint. 145. & 148.
Res ſacra non recipit æſtimationem. 150.
Res religioſæ quȩ dicantur, & quis locum religioſum facere poſſit. 145. *& ſeq.*
Res ſanctæ, & unde dicantur. 147. *in fine, &* 149.
Res nullius. 138.
Res quædam ſunt corporales, quædam incorporales. 138.
Rerum aliæ ſunt publicæ, aliæ privatæ. 137.
Reſpublicæ à communibus quomodo diſtent. 140.
Rerum communium exempla. 140.
Rerum publicarum exempla. 141. *in fine.*
Res Univerſitatis quæ dicantur. 140.
Res univerſitatis differunt à Publicis 144. *in fine.*
Rerum Univerſitatis exempla. 144.
Res judicata pro veritate accipitur. 95.
Ripa quid ſit, & cujus ſit. 143.
Romanorum tres præcipui ordines. 55.

S

Sapientem ditari difficile. 55.
Senatores qui 151. & 158.
Senatores & in Urbe, & ibi, unde oriundi ſunt, domicilium habere videntur. 158.
Senatoria dignitas non amittitur adeptione inferioris dignitatis. 154.
Senatoris filius etiam is eſt, qui poſt mortem patris Senatoris natus eſt. 154.
Senatoris filius habetur etiam emancipatus à patre Senatore. 154.
Senatoris filium accipere debemus etiam adoptivum. 153.
Senatu remotus, capite non minuitur. 152.
Senatus Conſultum, & Senatus auctoritas. 24.
Senatus, an Jus facere poſſit. 62

Servitutis definitio. 82.
Servi unde dicti. 82.
Servi non fiunt capti in bello inter Chriſtianos. 85.
Servum eſſe, & in ſervitute eſſe, differunt. 93.
Servus omnia acquirit domino. 98.
Servos ſuos vendere quandoque cogitur dominus. 100.
Servi pœnæ. 105.
Spurii qui dicantur. 94.
Spadones. 110.
Stadium quid. 144.
Stationarii milites. 168.
Statuæ Principum confugis ſecuritatem præbent. 100.
Stratores, ſeu Statores qui. 181.

T

THeatrum quid. 144.
Tribuni militum. 35.
Tribuni plebis. 30.
Tribunus Celerum. 27.
Triumviri capitales. 38.
Triumviri monetales. 38.
Triumviri nocturni. 175.
Tutela, an verè ſit munus publicum. 106.
Tutoris ſuſpecti cognitio mandari poteſt. & etiam ex mandata generali Iuriſdictione, mandata videtur. 219.

V

VEndere ſuas res certo aliquo pretio, regulariter nemo cogitur. 168.
Veritas rerum geſtarum, non vitiatur erroribus. 198. *in fine.*
Via ſacra. 44.
Virtus laudata creſcit. 187.
Vulgò concepti qui dicantur. 94.
Vulgò quæſiti & matri, & inter ſe ſunt cognati. 93.

X

XEnia quæ ſint. 186.

FINIS.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.

Sperellus Epiſc. Interamn. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Joſeph Maria Berti Reverendiſs. P. Fr. Paulini Bernardinii Apoſt. Pal. Magiſtri Socius Ord. Præd.

AU-

AURELII AUGUSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO

Pandectarum Publici Interpretis

Ad Leges Libri Primi Pandectarum Notæ, ſeu Breves Commentarii.

Domini (a) noſtri Sacratiſſimi Principis Juſtiniani, Juris (b) enucleati ex omni (c) vetere Jure collecti, Digeſtorum (d) ſeu Pandectarum.

LIBER PRIMUS.

De Juſtitia, (e) & Jure.

TITULUS PRIMUS.

Lex I. Ulpianus lib. 1. Inſtitutionum.

Juri (f) operam daturum priùs (g) noſſe (h) oportet, unde nomen Juris deſcendat. Eſt autem Jus (i) à Juſtitia appellatum. Nam, ut eleganter Celſus definit, Jus eſt Ars (k) boni & æqui. Cujus meritò quis nos ſacerdotes appellet. Juſtitiam namque colimus, & boni, & æqui notitiam profitemur: æquum ab iniquo ſeparantes: licitum ab illicito diſcernentes: bonos non ſolùm metu (l) pœnarum, verùm etiam præmiorum (m) quoque exhortatione efficere cupientes: veram (n) (niſi fallor) Philoſophiam, non ſimulatam affectantes.

a DOmini noſtri, &c. Sic legitur in Pandectis Florentinis, quod & Haloandri editio probat.

b *Juris enucleati*. Declarati, & explanati.

c *Ex omni vetere Jure collecti*. In libris Digeſtorum ſeu Pandectarum omne Jus antiquum collectum eſt *§. Igitur in Procemio Inſtit.*

d *Digeſtorum, ſeu Pandectarum*. His libris Imperator inſcriptionem præfixit Digeſtorum ſeu Pandectarum: Quoniam Jus omne in eiſdem comprehenſum eſt, & in artem digeſtum, ſeu ordinatum.

e *De Juſtitia, & Jure*. Juſtitiæ definitio traditur ab Ulpiano in *l. Juſtitia ff. h. t.* Juris verò definitionem habes in princ. *h. l.*

f *Juri*. Arti Juris.

g *Priùs*. Cùm nemo re quapiam uti poſſit, niſi vim naturamque illius perſpectam, & cognitam habeat.

h *Noſſe oportet*. Verbum hoc, oportet, deſignat neceſſitatem, quæ impoſita eſt Juri operam daturo: noſſe videlicèt, unde nomen Juris deſcendat. Qui verò Accurſium ſequuntur, dicunt, quod verbum, oportet, hoc loco, non importat neceſſitatem: ſed poſitum eſt impropriè pro decer. Quòd ſi nobis opponatur, quòd non eſt boni Juris Conſulti tàm curioſè ſectari nomina, cùm leges rebus imponantur non verbis. *l. 2. in fin. C. commun. de legatis*. Reſpondetur quòd imò ſolent prudentes ex etymologia, & proprietate nominum vim & ſubſtantiam rerum inveſtigare, *tot. tit. ff. de verb. & rer. ſig. ex Ant. Fab.*

i *Eſt autem Jus à Juſtitia appellatum*. Sumendo Jus in concreto, ideſt, pro Arte Juris, non in abſtracto.

k *Jus eſt Ars boni & æqui*. Hoc eſt, Ars diſceptandi controverſias ex bono & æquo: ſeu, ut aliis placere video, eſt Ars abſolutæ bonitatis & æquitatis.

l *Metu pœnarum*. Pleroſque enim pœna magis, quàm honeſtum in officio continet. *Ariſt. 10. Eth. cap. 9.* Unde verſus:

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

m *Præ-*

m *Præmiorum quoque exhortatione*. Quandoque enim boni efficimur, ſpe futuri præmii.

n *Veram philoſophiam non ſimulatam.* Ideſt, Philoſophiam Stoicam, & practico Civium uſui probè accommodatam.

Ad §. Hujus ſtudii.

Hujus (a) *ſtudii duæ ſunt poſitiones: publicum, & privatum. Publicum Jus eſt, quod ad ſtatum* (b) *rei Romanæ ſpectat.* (c). *Privatum, quod ad ſingulorum* (d) *utilitatem: Sunt enim quædam publicè* (e) *utilia, quædam* (f) *privatim. Publicum Ius in Sacris, in Sacerdotibus, in Magiſtratibus conſiſtit. Privatum Jus tripartitum* (g) *eſt: collectum etenim eſt ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.*

a HUjus *ſtudii duæ ſunt poſitiones*. Ideſt, duæ ſunt partes: quaſi diceret, hoc ſtudium poſitum eſt duabus in rebus: nempè in ediſcendo Jure publico & privato.

b *Ad ſtatum rei Romanæ*. Ideò dicitur, rei Romanæ, quia verſamur in Jure Romano, generaliter autem Jus publicum eſt, quod ad ſtatum Reipublicæ ſpectat. Rei porrò verbum, ut generale, Ulpianus hic elegit: quo Romanum Orbem, & Imperium ſignificaret: ad quem modum legimus Virgilium res Aſiæ dixiſſe.

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam: viſum ſuperis.

c *Spectat*. Scilicet principaliter. Nam ex conſequentia, ſingulis etiam proſunt, quæ ſunt publicè utilia.

d *Ad ſingulorum utilitatem*. Scilicèt principaliter, & generaliter. Nam ex conſequentia ſunt etiam publicè utilia, quæ ad ſingulorum utilitatem pertinent. Et quod ad unum aliquem privatum dumtaxat pertinet, Jus ſingulare, & ſpeciale, itemque privilegium dicitur.

e *Sunt enim quædam publicè utilia*. Propriè publicè utilia ſunt Sacra, Sacerdotes, Magiſtratus. Publicum igitur Jus in Sacris, in Sacerdotibus, in Magiſtratibus cōſiſtit, *ut hic in text.*

f *Quædam privatim*. Veluti quæ ad acquirenda rerum dominia, ad poſſeſſiones, obligationes & actiones pertinent.

g *Privatum Jus tripartitum eſt: collectum etenim eſt, &c.* Sententia horum verborum hæc eſt: Jus privatum ex tribus fontibus derivatum eſt: Collectum eſt enim partim ex naturalibus, partim ex gentium, partim ex Civilibus præceptis.

Ad §. Jus naturale.

Jus (a) *naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Nam Jus* (b) *iſtud non humani generis proprium: ſed omnium animalium, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, avium quoque commune eſt. Hinc deſcendit maris* (c) *atque fæminæ conjunctio, quam nos* (d) *matrimonium appellamus: hinc liberorum* (e) *procreatio, hinc* (f) *educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia, feras* (g) *etiam, iſtius Juris peritia* (h) *cenſeri.*

a JUs *naturale, &c.* Jus naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit. Pro intelligentia hujus definitionis animadvertite non referri ad Jus naturale, quidquid natura omnia animalia docet, ſed ea tantùm, quæ in vitæ communione ſpectantur, ut ex ſubjectis in textu exemplis apparet. Jus enim ibi demum eſt, ubi aliqua communio eſt. Cicero *De natura deorum* lib. 1. circa finem. Vitæ autem communio maximè propria eſt hominum, & conſequenter, ex communi DD. ſententia, Jus propriè non cadit in bruta: Galvanus tamen *de Uſufructu* cap. 5. ſub num. 7. & ſeq. contrariam opinionem defendit.

b *Nam Jus iſtud non humani generis proprium, &c.* His verbis differentia Juris naturalis & Juris gentium ſignificatur. Jus naturale omnibus animalibus commune eſt. Jus gentium proprium eſt humani generis. Seù, ut dicitur in §. ult. hujus noſtræ legis, Jus gentium ſolis hominibus inter ſe commune eſt.

c *Hinc*

c *Hinc deſcendit maris atque fœminæ conjunctio,&c.* Maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, & eorumdem educatio in communione quadam vitæ cernuntur: ac proprietas Juris eſt, ut in vitæ communione conſiſtat, auctore Ariſtotele. Et intellige animorum, non corporum conjunctionem. Hæc enim animorum conjunctio quodammodo reperitur etiam in brutis, ſicuti enim bruta dicuntur habere animum revertendi, quandiù reverti ſolent. *§. Pavonum, de rer. diviſ.* ità dici poſſunt habere animum ſimul vivendi, quandiu ſimul vivunt. *Pac. in Analy. ad princip. Tit. Inſtit. de Jure nat. gent. & civ.*

d *Quam nos matrimonium appellamus*. Inter homines enim duntaxat hæc maris & fœminæ conjunctio, matrimonii nomen habet.

e *Hinc liberorum procreatio, hinc educatio*. Communis omnium animantium (inquit Cicero lib. 1. *de Offic.*) eſt conjunctionis appetitus procreandi cauſa, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt. Et *lib.* 3. *de finibus*, ſic ſcribit: Neque verò hæc inter ſe congruere poſſent, ut natura & procreari vellet, & diligi procreatos non curaret. Atque etiam in beſtiis vis naturæ inſpici poteſt, quarum in fœtu & educatione laborem cum cernimus, naturæ ipſius vocem videmur audire.

f *Hinc educatio. Vide l.* 3. *&* 4. *Cod. de alend. liber.*

g *Feras etiam*. Fortaſsè J. C. ſcripſerat, fera etiam. Gal.

h *Iſtius Juris peritia cenſeri*. Hoc eſt, iis qui legem hanc obſervant, adſcribi. *Theoph. in princ. Tit. Inſtit. de Jure natur. gent. & Civ.*

Ad §. Jus gentium.

Jus (a) *gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur. Quod à naturali recedere facilè intelligere licet: quia illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe commune eſt.*

a *Jus*

a JUs gentium eſt &c. Seu Jus gentium eſt, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, *l. omnes populi 9. ff. h. t.* Ubi videbimus de hac re.

Lex II. Pomponius libro ſingulari Enchiridii.

Veluti (b) *erga Deum religio: ut parentibus,* (c) *& patriæ pareamus.*

b VEluti erga Deum Religio, &c. Hæc ſunt exempla Juris gentium primarii. Vide notata infrà ad *l. omnes populi 9. ff. h. t. In verbo, Quod verò naturalis ratio.*

c *Ut parentibus, & patriæ pareamus.* Si hujus literæ ordinem ſpectemus, parentes patriæ præferendos eſſe dicendum erit, licèt parentibus patriam præferendam aliqui exiſtiment. De hac quæſtione vide Jacobum Bonjour ad noſtram legem.

Lex III. Florentinus lib. 1. Inſtitutionum.

Ut vim (a), *atque injuriam propulſemus. Nam jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe* (b) *exiſtimetur. Et cùm inter* (c) *nos cognationem quandam natura conſtituit, conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe.*

a UT *vim, atque injuriam propulſemus.* Hoc etiam eſt exemplum Juriſgentium primarii. Violentiæ enim propulſatio, modò eſt communis Juris naturalis, modò Juriſgentium primarii, ſive naturalis humani: & Juris quidem naturalis communis, ſi ea ſimpliciter ad corpus referatur; Juris autem naturalis, ſive gentium primarii, ſi ad animum, hoc eſt, ad propulſationem Injuriæ illatæ virtuti, ac naturali inter homines benevolentiæ. Rectè igitur ad Jus gentium primarium refertur propulſatio in noſtra lege, quoniam in ea non agitur abſolutè de vi, ac Inju-

Injuria corpori illata; ſed de vi, ac Injuria, quam intulit homo homini; hæc autem offendit virtutem mutuæ benevolentiæ, ac dilectionis, quam humana natura inter homines deſiderat. *ex Galu. de Uſufruct. cap. 5. num. 4.*

b *Jure feciſſe exiſtimetur*. Si tuendi duntaxat, non etiam ulciſcendi cauſa factum ſit, *l. Scientiam* 45. *in fine ff. ad leg. Aquil.* Eum igitur, qui cum armis venit, poſſumus armis repellere. Sed hoc confeſtim, non ex intervallo, *l.* 3. *§. Eum igitur ff. de vi, & de vi arm.* Confeſtim: Ideſt, illicò, in ipſa concertatione & congreſſu. *l. Qui poſſeſſionem* 17. *ff. de Vi, & de vi arm.* Nam qui ex intervallo vim infert, cogitato infert: nec tàm ad defenſionem, quàm ad ultionem ſpectat: ultio autem prohibita eſt, *dicta l. Scientiam* 45. *in fine ff. ad leg. Aquil. l.* 1. *Cod. Unde vi.*

c *Et cùm inter nos cognationem quandam, &c.* Et quidem inter nos ſolos, non etiam inter bruta. Itaque ſoli homines eam cognationem violant, non bruta, & cum violant, Injuriam faciunt.

Lex IV. Ulpianus lib. 1. Inſtitutionum.

Manumiſſiones quoque Juris (a) *gentium ſunt. Eſt autem manumiſſio, de manu miſſio, ideſt, datio libertatis. Nam quandiu quis in ſervitute eſt, manui & poteſtati ſuppoſitus eſt: manumiſſus liberatur poteſtate. Quæ res à Jure gentium originem ſumpſit: utpote cùm jure naturali omnes liberi naſcerentur: nec eſſet nota manumiſſio, cùm ſervitus eſſet incognita. Sed poſtea quàm Jure gentium ſervitus invaſit, ſecutum eſt beneficium manumiſſionis: & cùm uno naturali nomine homines appellarentur, Jure gentium* (b) *tria genera eſſe cœperunt: liberi,* (c) *& his contrarium ſervi, & tertium genus liberti,* (d) *ideſt, hi qui deſierant eſſe ſervi.*

a JUriſgentium. Secundarii. *Vide notata infra ad l. omnes populi. 9. ff. h. t. In verbo, Quod vero naturalis ratio.*

b Ju-

b *Jure gentium tria genera, &c.* Ante Jus gentium, uno communi nomine omnes homines appellabantur: deinde Jure gentium ſervitute inventa, duo hominum genera eſſe cœperunt, liberi, & ſervi, & ad extremum manumiſſio tertium genus his inſeruit libertinorum: qui cùm inter liberos referrentur, natura liberi, ingenui appellati ſunt, differentiæ gratia.

c *Liberi*. Licèt homines Jure naturali eſſent omnes re vera liberi, non tamen tales dici poterant, cùm nulli eſſent ſervi, ad quorum differentiam liberi appellarentur. *Fab.*

d *Liberti, ideſt, hi qui deſierant eſſe ſervi*. Sic legitur in Pand. Flor. In aliis legitur: Libertini, qui deſierant eſſe ſervi: Quam lecturam ego non improbo. In libris Juris, manumiſſi, nunc liberti, nunc libertini dicuntur, & re idem ſunt. Ea tamen eſt inter has duas voces differentia, quod appellatio libertorum ad patronos refertur v. g. eſt libertus Cæſaris, eſt liberta Agrippæ, ac privatum quendam reſpectum denotat. Libertinorum verò appellatione ſtatus, ſeu conditio hominum ſignificatur v. g. eſt homo libertinus, eſt mulier libertina.

Lex V. Hermogenianus lib. 1. Juris epitomarum.

Ex hoc Jure (a) *gentium introducta* (b) *bella: diſcretæ gentes: regna condita: dominia diſtincta: agris termini poſiti: ædificia collocata: commercia, emptiones,* (c) *venditiones, locationes* (d) *conductiones, obligationes* (e) *inſtituta: exceptis* (f) *quibuſdam, quæ à Jure Civili introducta ſunt.*

a EX *hoc Jure gentium*. Secundario. Quæ enim uſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ ſibi conſtituerunt, conſtitutiones ſunt Juris gentium ſecundarii. *Vide infrà ad l. 9. h. t. In verbo, Quod verò naturalis ratio.*

b *Introducta bella.* Non tamen omnia bella poſſunt dici Juris

Juris gentium, ſed ea tantùm, quæ cum ratione inſtituuntur. Ubi enim mala voluntate, ulciſcendi nimirum, vel nocendi cupiditate, aut dominandi libidine inferuntur, injuſtiſſima ſunt.

c *Emptiones l.1. in fine ff. de contrahen. empt.*

d *Locationes l.1. ff. Locati.*

e *Obligationes.* Non tamen Actiones. Sunt enim omnes illæ ex Jure Civili.

f *Exceptis quibuſdam, quæ à Jure Civili, &c.* Exemplum pone in ſtipulatione, itemque in Emphyteuſi, in literarum obligatione, & ſpoſalitia largitate.

Lex VI. Ulpianus lib. 1. Inſtitutionum.

Jus (a) *civile eſt, quod neque* (b) *in totum à naturali, vel gentium recedit, neque per omnia ei ſervit. Itaque cùm aliquid addimus, vel detrahimus Juri communi: Jus proprium, ideſt, Civile, efficimus. Hoc igitur Jus noſtrum conſtat aut ex ſcripto,* (d) *aut ex non ſcripto: ut apud Græcos, legum aliæ quidem ſcriptæ, aliæ verò non ſcriptæ.*

a JUs *civile, &c.* Seu Jus civile eſt Jus illud, quod quiſque populus ipſe ſibi conſtituit. *l. Omnes populi 9. ff. h. t.*

b *Quod neque in totum à naturali, &c.* Jus Civile neque in totum à naturali recedit, quia ab eo rectitudinem mutuatur, neque per omnia ei ſervit, quia addendo, vel detrahendo in ſuos uſus transfert. Ex Salomon. Ex hoc autem loco probari poſſe videtur, quod Jura naturalia ſint mutabilia, *contra tex. in §. Sed naturalia, Inſtit. de Jure nat. gent. & civili.* Qua de re videre potes præceptorem meum Dominum Bartholomæum Cheſium Interpr. Jur. *lib. 1. cap. 27.*

c *Juri communi.* Juri naturali, vel gentium.

d *Aut ex ſcripto, aut ex non ſcripto: ut apud Græcos, &c.* Et non ineleganter in duas ſpecies Jus Civile diſtributum

 eſſe

eſſe videtur, nam origo ejus ab inſtitutis duarum Civitatum, Athenarum ſcilicèt, & Lacedæmoniorum fluxiſſe videtur. In his enim Civitatibus itâ agi ſolitum erat, ut Lacedæmonii quidem magis ea, quæ pro legibus obſervarent, memoriæ mandarent: Athenienſes verò ea, quæ in legibus ſcripta comprehendiſſent, cuſtodirent. *§. Et non ineleganter, Inſtit. de Jure nat. gen. & civ.*

Lex VII. Papinianus lib. 2. definitionum.

Jus autem (a) *Civile eſt, quod ex legibus, plebiſcitis, Senatus conſultis, decretis Principum, auctoritate* (b) *prudentum venit. §. Jus Prætorium eſt, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi* (c), *vel ſupplendi,* (d) *vel corrigendi* (e) *Juris Civilis gratia, propter* (f) *utilitatem publicam: quod & (g) honorarium dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum.*

a JUs autem Civile, &c. Specialiter ſumptum, quatenus opponitur Juri prætorio.

b *Auctoritate prudentum*. Sub auctoritate prudentum reſponſa eorum continentur. *§. Reſponſa prudentum, Inſtit. de Jure nat. gent. & civ.*

c *Adjuvandi*. Adjuvat Prætor Jus Civile, cùm v. g. ad bonorum poſſeſſionem vocat eos, ad quos pertinet hæreditas Jure Civili.

d *Vel ſupplendi*. Supplet Prætor Juri Civili, cùm v. gr. ad ſucceſſionem vocat cognatos, qui Jure Civili neglecti reperiuntur.

e *Vel corrigendi*. Corrigit Prætor Jus Civile data bonorum poſſeſſione contra Tabulas teſtamenti, quod Jure Civili valet.

f *Propter utilitatem publicam*. Propter æquitatem, quam Prætor tuetur & æſtimat ex publica utilitate.

g *Quod & honorarium, &c.* Jus honorarium generaliter dicitur, quod à Magiſtratibus conſtituitur, quòd qui hono-

res gerunt, ideſt, Magiſtratus, auctoritatem huic Juri dederunt. §. *Prætorum quoque, de Jure nat. gen. & civ.* Quare Jus Prætorium honorarii Juris eſt portio, ut & Jus Ædilitium. Quia tamen Jus Prætorium eſt major pars Juris honorarii, cùm dicimus Jus honorarium, ſolemus Jus Prætorium intelligere. *Facit tex. in dicto. §. Prætorum quoque, Inſtit. de Jure nat. gent. & civ.*

Lex VIII. Martianus lib. 1. Inſtitutionum.

Nam & ipſum (a) *Jus honorarium viva vox* (b) *eſt Juris Civilis.*

a NAm & ipſum Jus honorarium. Vide notata in fine præcedentis legis.

b *Viva vox eſt Juris Civilis.* Cicero de legibus, Prætorem legem loquentem eſſe ait.

Lex IX. Gajus lib. 1. Inſtitutionum.

Omnes populi (a), *qui legibus,* (b) *& moribus reguntur, partim ſuo* (c) *proprio: partim* (d) *communi omnium hominum Jure utuntur. Nam quod* (e) *quiſque populus ipſe ſibi Jus conſtituit, id ipſius proprium Civitatis eſt, vocaturque Jus civile, quaſi Jus* (f) *proprium ipſius Civitatis. Quod verò* (g) *naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræquè* (h) *cuſtoditur: vocaturque* (i) *Jus gentium, quaſi quo Jure omnes gentes utuntur.*

a OMnes populi, qui legibus, &c. Relativum, Qui, hoc loci non ponitur reſtrictivè, ſed declarativè hoc modo: Omnes populi, qui ſcilicèt omnes legibus & moribus reguntur, &c. ex Bart.

b *Legibus & moribus.* Sive legibus tantùm, ut Athenienſes, ſive moribus tantùm, ut Lacedæmonii, ſive legibus & moribus conjunctim, ut Romani. §. *Conſtat autem,*

& §. Et non ineleganter, Inſtit. de Jur. nat. gent. & civ.

c *Partim ſuo proprio*. Diſſimilitudo enim Civitatum varietatem Juris habeat neceſſe eſt.

d *Partim communi omnium hominum.* Communi omnium hominum Jure omnes Civitates utuntur, quia cum pars quædam eorum ſint, quod commune eſt, ad partes quoque pertineat neceſſe eſt.

e *Nam quod quiſque populus, &c.* Eſt igitur Jus Civile Jus illud, quod quiſque populus ipſe ſibi conſtituit. *Concordat text. in §. Jus autem Civile, Inſtit. de Jure nat. gent. & civ.* Seu Jus Civile eſt, quod neque in tòtum à naturali vel gentium recedit, neque per omnia ei ſervit. Itaque cùm aliquid addimus, vel detrahimus Juri naturali, vel gentium: Jus proprium, ideſt, Civile efficimus, *l. Jus Civile 6. ff. h. t.* Jus autem Civile non idem eſt ubique, ſed varium & multiplex; & pro cujuſque Civitatis ratione ſolet accommodari, & conſequenter differt à Jure gentium, quod ubique eſt idem, & apud omnes peræque cuſtoditur.

f *Quaſi Jus proprium ipſius Civitatis.* Hinc à Cicerone in Topic. Jus Civile definitur, ut ſit æquitas conſtituta iis, qui ejuſdem ſunt Civitatis, ad res ſuas obtinendas.

g *Quod verò naturalis ratio, &c.* Igitur Juſgentium eſt, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit. *Concordat tex. in dicto §. Jus autem Civile, Inſtit. de Jure nat. gent. & civ.* Seu Jus gentium eſt, quo gentes humanæ utuntur, *l. 1. §. ult. ff. h. t.* Et animadvertendum eſt, quod alia ſunt Jura gentium, quæ ſunt à mera naturali ratione inter omnes homines conſtituta, veluti erga Deum religio: ut parentibus, & patriæ pareamus, *l. 1. in fine, juncta l. 2. ff. h. t.* Alia ſunt, quæ uſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ ſibi conſtituerunt; ut ſunt bella, captivitates, & ſervitutes, & omnes penè contractus. *§. Jus autem gentium, Inſtit. de Jure nat. gen. & civ.* Quæ duo Jura Interpretes noſtri nominibus disjunxerunt; ita ut illud, quod eſt ex mera naturali ratione, Jus gentium primarium, alterum verò Jus gentium ſecundarium appellaverint.

h Per-

h *Peræquè*. Pariter, eodem modo, & æqualiter.

i *Vocatur que Jus gentium*. Et etiam Jus naturale dicitur, §. *Singulorum autem*, *Inſtit. de rer. diviſ.*

Lex X. Ulpianus lib. 1. Regularum.

Juſtitia (a) *eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum* (b) *cuique tribuendi*. *Juris* (c) *præcepta ſunt hæc: honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere*. *Juriſprudentia eſt divinarum, atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia*.

a *Juſtitia eſt conſtans, &c.* Hoc eſt, ut rectè explicat Baro *in princ. Tit. Inſtit. de Juſt. & Jur.* Juſtitia eſt habitus animi, quo conſtanter & perpetuò, jus ſuum cuique tribuere volumus. Seu, ut explicatur à Paciò *in Analy. Inſtit.* Juſtitia eſt habitus animi, per quem volumus juſtè agere, & ſuum cuique tribuere, ac re ipſa tribuimus, niſi impediamur. Non obſtat huic definitioni: Quod nihil ſit ſtabile inter homines, *A. de non alienandi cap. 2.* Quia, licèt homo non tribuat conſtanter & perpetuò Jus ſuum cuique, ſed quandoque alterum lædat, non tamen propter hoc Juſtitia mutatur, ſed mutatur ipſe met homo, qui recedit à via, quam ei conſtanter & perpetuò dictat Juſtitia.

b *Jus ſuum cuique*. Hoc eſt, quod cuique Jure ac legibus debetur: nimirum Deo religionem, parentibus pietatem, Magiſtratibus obſervantiam, gratiam promerentibus, pecuniam depoſitam ei qui depoſuit, promiſſa ſtipulatori, pretium rei venditori, mercedem locatori, &c. ex Barone hic.

c *Juris præcepta, &c.* Hæc ſunt Juris præcepta univerſalia, ſub quibus continentur omnia particularia, quæ ſunt penè infinita: quidquid enim Jure conſtitutum eſt, præceptum eſt, quo recta jubentur, aut vetantur contraria.

d *Juriſprudentia eſt divinarum atque humanarum rerum notitia*. Jus enim & divinas & humanas res benè diſponit,

l. 1.

l. 1. *in princ. Cod. de vet. Jure enucl.* Et priſci Juriſprudentes divinarum atque humanarum rerum periti erant. Itaque Cicero lib. 3. *De orat.* ſcribit, moris antiquis temporibus fuiſſe, ut ad Juris conſultos, P. Craſſum, T. Coruncanum, & Scipionem, de omnibus divinis atque humanis rebus referretur. Per res autem divinas & humanas intelligimus Jus publicum & privatum, quorum illud in divinis rebus, ideſt, Sacris, Sacerdotibus, & Magiſtratibus, hoc, in humanis, quæ ad ſingulorum utilitatem pertinent, conſiſtit, *l.* 1. §. *Hujus ſtudii. ff. de Juſt. & Jur.*

e *Juſti atque injuſti ſcientia.* His verbis ſignificatur, Juriſprudentiam in utroque Jure, publico, & privato, æquum ab iniquo ſeparare, & licitum ab illicito ſecernere, *dicta l.* 1. *ff. de Juſtitia & Jure.*

Lex XI. Paulus lib. 14. ad Sabinum.

Jus pluribus modis dicitur. Uno modo, cùm id, (a) *quod ſemper bonum ac æquum eſt, Jus dicitur: ut eſt Jus naturale. Altero modo, quod* (b) *omnibus, aut pluribus in quaque civitate utile eſt: ut eſt Jus Civile. Nec minus Jus rectè dicitur, in Civitate noſtra Jus* (c) *honorariorum. Prætor quoque Jus reddere dicitur, etiam cùm* (d) *iniquè decernit: relatione ſcilicèt facta non ad id, quod Prætor ita fecit, ſed ad illud, quod Prætorem facere convenit. Alia ſignificatione* (e) *Jus dicitur, locus, in quo Jus* (f) *redditur: appellatione collata ab eo, quod fit, in eo, ubi fit: quem locum determinare hoc modo poſſumus: ubicunque* (g) *Prætor ſalva majeſtate* (h) *Imperii, ſalvoque more* (i) *majorum, Iuſdicere conſtituit: is locus rectè Ius appellatur.*

a ID, *quod ſemper bonum, &c.* Id, quod ſemper æquum ac bonum eſt, Jus dicitur: ut eſt Jus naturale.

b *Quod omnibus, &c.* Quod omnibus, aut pluribus in quaque Civitate utile eſt, Jus dicitur: ut eſt Jus Civile.

c *Ius honorarium.* Jus honorarium in civitate noſtra re-

ctè

ctè Jus dicitur: Quia facit partem Juris Civilis generaliter ſumpti, *l.* 6. & 8. *bujus noſtri Tituli*.

d *Etiam cùm iniquè decernit*. Prætor Jus reddere dicitur, etiam cùm iniquè decernit. Circa hoc not. quod quando contra ſacras Conſtitutiones judicatur: appellationis neceſſitas remittitur. Contra Conſtitutiones autem judicatur, cùm de Jure Conſtitutionis, non de Jure litigatoris pronuntiatur. Nam ſi Judex volenti ſe ex cura muneris, vel Tutelæ, beneficio liberorum, vel ætatis, aut privilegii excuſare, dixerit neque filios, neque ætatem, aut ullum privilegium ad muneris, vel Tutelæ excuſationem prodeſſe: de Jure Conſtitutionis pronunciaſſe intelligitur. Quòd ſi de Jure ſuo probantem admiſerit, ſed idcircò contra eum ſententiam dixerit, quòd negaverit eum de ætate ſua, aut de numero liberorum probaſſe: de Jure litigatoris pronunciaſſe intelligitur: quo caſu appellatio neceſſaria eſt. *l.* 1. §. *Item cùm contra ff. Quæ ſent. ſine appell. reſcind.*

e *Alia ſignificatione*, &c. Alia ſignificatione Jus dicitur locus, in quo Jus redditur. *Ut in Tit. ff. de Interrogat. in Iure facien. & in Tit. ff. de In Ius vocando, & aliis ſequentibus*.

f *In quo Ius reditur*. A Magiſtratu. Latiore tamen ſignificatione in Jure interrogatus dicitur etiam, qui apud pedaneum Judicem interrogatus eſt, *l. Voluit prætor* 4. §. *quod ait, ff. de Interrog. in Iur. faciendis*.

g *Ubicunque Prætor*, &c. Ergo in Prætoris arbitrio fuit Juris dicendi locum deliberare, modò talis ſit ubi ſalva majeſtate Imperii, ſervatoque more majorum jus reddi poſſit. Salomon. hoc eodem loco.

h *Imperii*. In aliis: Imperii ſui.

i *Salvòque more majorum*. More majorum Jus dicit Prætor pro Tribunali.

Lex

Lex XII. Martianus lib. 1. Inſtitutionum.

Nonnunquam Ius etiam pro neceſſitudine dicimus: Veluti eſt mihi Ius (a) *cognationis, vel* (b) *adfinitatis.*

a *Ius cognationis.* Quod etiam dicitur Jus ſanguinis, *l. Qui in adoptionem* 23. *ff. de adoptionibus.*

b *Vel adfinitatis.* Jus tamen adfinitatis non eſt Jus ſanguinis.

DIGESTORUM

LIBER PRIMUS.

De origine Juris, & omnium Magiſtratuum, & Succeſſione Prudentium.

TITULUS SECUNDUS.

Lex I. Gajus lib. 1. ad legem 12. Tabularum.

Facturus legum vetuſtarum interpretationem, neceſſariò priùs ab Urbis initiis repetendum exiſtimavi: non quia velim verboſos (a) *commentarios facere, ſed quòd in omnibus rebus animadverto id perfectum eſſe, quod ex omnibus ſuis partibus conſtaret. Et certè cujuſque rei* (b) *potiſſima pars principium eſt. Deinde ſi in foro cauſas dicentibus nefas, ut ita dixerim, videtur eſſe, nulla præfatione facta, judici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus inconveniens erit, omiſſis* (c) *initiis, atque origine non repetita, atque illotis,* (d) *ut ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare? namque, niſi fallor,*

iſtæ

iſtæ præfationes & libentiùs nos ad lectionem propoſitæ materiæ producunt (e): *& cùm* (f) *ibi venerimus, evidentiorem præſtant intellectum.*

a NOn quia velim verboſos commentarios facere. Omne enim ſupervacaneum, & quidquid præter propoſitum eſt, dimitti oportet: ut ait Plato *de Summo bono*. Et veritas, verborum adminicula non deſiderat. *l.* 1. *C. Si minor ab hæred. ſe abſtin.*

b *Cujuſque rei potiſſima pars principium eſt*: Dimidium facti qui bene cœpit, habet.

c *Omiſſis initiis*. Cognitis initiis, cætera quæ indagantur, magis fiunt perſpicua. *Ariſt.* 1. *Ethic. cap.* 7. *in fine*.

d *Illotis, ut dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare?* Illotis manibus hoc in loco ſignificat abruptè & nulla præfatione rem ipſam protinus aggredi, imparatis adhuc audientium animis. Bud. hic.

e *Producunt*. In aliis: Perducunt.

f *Et cum ibi venerimus*. In aliis: Et cum eò venerimus.

Lex II. Pomponius libro ſingulari Enchiridii.

Neceſſarium itaque nobis videtur, ipſius Juris (a) *originem, atque proceſſum demonſtrare. Et quidem initio civitatis noſtræ, populus ſine lege certa, ſine jure certo primùm agere* (b) *inſtituit: omniaque manu* (c) *à regibus gubernabantur. Poſtea, aucta ad aliquem modum civitate, ipſum Romulum traditur populum in triginta* (d) *partes diviſiſſe: quas partes Curias appellavit, propterea quòd tunc Reipublicæ curam per ſententias partium earum expediebat. Et ita leges quaſdam & ipſe curiatas* (e) *ad populum tulit: tulerunt & ſequentes reges, quæ omnes conſcriptæ extant in libro Sexti Papirii, qui fuit illis temporibus, quibus Superbus* (f) *Damarathi Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatur Ius Civile Papirianum, non quia Papirius de ſuo*

quidquam ibi adjecit: ſed quod leges ſine ordine latas in unum compoſuit.

a *Iuris originem*. Principia juris.

b *Agere*. Ideſt, vivere.

c *Manu à regibus*. In aliis; manu regis. Et dicitur, manu regis: Ideſt, arbitrio & poteſtate regis: Igitur Populus initio Civitatis nulla certa lege tenebatur, arbitrium, & poteſtas Regis pro lege erat.

d *In triginta partes*. *Dionyſ. Halic. lib.* 2. populum in tres partes, quas Tribus vocat, & rurſum quamlibet Tribum in decem diviſam, eaſque partes, Decurias, & Duces earum Decuriones nominatos eſſe ſcribit.

e *Curiatas*. Curiatæ leges, à Curiatis Comitiis dictæ fuerunt: quia ſcilicèt populus curiatim convocatus fuerat in legibus ferendis.

f *Quibus Superbus Daramanthi Corinthii filius*. In aliis: quibus Tarquinius Demarathi Corinthii filius: Et rectè. Non enim Tarquinius Superbus Demarathi filius fuit, ſed Tarquinius Priſcus, ut ex Livio conſtat *lib.* 1. ab Urbe condita.

Ad §. Exactis.

Exactis (a) *deinde Regibus lege* (b) *Tribunicia omnes leges hæ exoleverunt: iterumque* (c) *cœpit populus Romanus incerto magis jure, & conſuetudine* (d) *ali, quàm per latam legem: idque propè viginti annis paſſus* (e) *eſt. Poſteà, ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate decem* (f) *conſtitui viros, per quos peterentur leges à Græcis civitatibus, & civitas fundaretur legibus: quas in tabulas* (g) *eboreas perſcriptas pro* (h) *Roſtris compoſuerunt, ut poſſent leges apertiùs percipi. datumque eſt eis jus* (i) *eo anno in civitate ſummum: uti leges & corrigerent, ſi opus eſſet, & interpretarentur:* (k) *neque provocatio ab eis, ſicut à reliquis magiſtratibus, fieret. Qui ipſi animadverterunt aliquid deeſſe iſtis primis legibus: ideoque ſequenti anno alias duas ad eaſdem Tabulas adje-*

adjecerunt: & ita ex accidentia (l) *appellatæ ſunt leges duodecim tabularum*: *quarum* (m) *ferendarum auctorem fuiſſe decemviris Hermodorum* (n) *quendam Epheſium exulantem in Italia, quidam retulerunt.*

a EXactis deinde Regibus. Ideò in plurali ſcribuntur Reges exacti, quia exacto Tarquinio decretum fuit, ne deinceps Reges Romæ eſſent. Accurſ. hic. Livio enim auctore, Brutus primus Conſul, populum juramento adſtrinxiſſe traditur, neminem regnare Romæ paſſurum.

b *Lege Tribunicia*. Hoc loco Tribuniciam legem appellat Pomponius Bruti Tribuni Celerum legem, qua Reges exacti ſunt. Neque obſtat, ſi dicatur ea lege nihil fuiſſe cautum de abolendis legibus Regiis: nam ſi in textu noſtrò interpunctio ſuo loco ponitur, hoc videlicèt modo Exactis deinde Regibus lege Tribunicia: omnes leges hæ exoleverunt: non dicitur, quod lege Tribunicia leges Regiæ fuerunt abolitæ, ſed quod leges Regiæ exoleverunt, exactis Regibus lege Tribunicia.

c *Iterumque cœpit populus, &c.* Ideò dicitur, iterum, quia & initio Civitatis populus ſine lege certa, ſine Jure certo, vixerat, ut in principio noſtræ legis.

d *Et conſuetudine ali, quam per latam legem.* In aliis legitur: & conſuetudine aliqua uti, quàm perlata lege.

e *Paſſus eſt*. Admiſit.

f *Decem conſtitui viros, &c.* Veritas hiſtoriæ habet, Tres tantummodò legatos, per quos peterentur leges à Græcis civitatibus, fuiſſe conſtitutos. *Livius lib.* 3. Miſſi Legati Athenas, Sp. Poſtumius Albus, A. Manlius, Ser. Sulpicius Camerinus: juſſique inclytas Solonis leges deſcribere, & aliarum Græciæ civitatum inſtituta, mores, juraque noſcere: Allatis verò legibus, Decem viri creati fuerunt pro illis cenſendis, & promulgandis, ut conſtat ex Feneſtella *de Magiſt. Rom. cap.* 14. *& ex eod. Livio ubi ſuprà.*

g *Quas in tabulas eboreas perſcriptas.* Sic legitur in Pand. Flor. In Al. Quas in tabulis decem æneis perſcriptas. Et ex

Livio *lib. 6. in princ.* probatur, quod erant æræ duodecim Tabulæ.

h *Pro roſtris compoſuerunt*. Al. legitur, propoſuerunt. Roſtris navium ex Antiatibus captarum ſeggeſtum in foro extructum adornatum fuit, ut Livius tradit *lib.* 8. Ibi igitur eæ Tabulæ poſitæ fuerunt, ut poſſent leges apertiùs percipi.

i *Ius eo anno in civitate ſummum*. Ideſt, ſumma poteſtas eo anno in civitate.

k *Et interpretarentur*. Ideſt, apertiùs exponerent.

l *Ex accidentia*. Ex accidenti.

m *Quarum*. Duarum tabularum.

n *Hermodorum quendam Epheſium exulantem in Italia*. Hic Hermodorus fuit Princeps Epheſiorum, & ab eis Epheſo exulare juſſus eſt propterea quòd aſſueti pravis moribus & inſtitutis, integram ejus vitam ferre non poterant. Et Heraclitus Phyſicus (ut eſt apud Ciceronem lib. 5. *Tuſcul. Quæſt.*) Univerſos ait Epheſios eſſe morte multandos, quòd, cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti ſunt. Nemo de nobis unus excellat: ſed, ſi quis extiterit, alio in loco, & apud alios ſit. Plinius quoque lib. 34. ſcribit, ſtatuam Hermodori Epheſii, legum, quas Decemviri ſcribebant, Interpretis, in comitio publicè dicatam fuiſſe.

Ad §. His legibus latis.

His legibus latis, cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret prudentium (a) *auctoritate neceſſariam diſputationem fori. Hæc diſputatio, & hoc jus, quod ſine* (b) *ſcripto venit, compoſitum à prudentibus, propria* (c) *parte aliqua non appellatur, ut cæteræ partes juris ſuis nominibus deſignantur, datis propriis* (d) *nominibus cæteris partibus: ſed communi nomine appellatur Ius Civile.*

a PRudentium *auctoritate neceſſariam diſputationem fori.* In aliis legitur; prudentium auctoritatem, neceſſariamque diſputationem fori.

b *Quod*

b *Quod ſine ſcripto venit*. Priuſquam Imperatores rerum eſſent domini, auctoritas Prudentium erat ex Jure non ſcripto, ut in hoc §. & infrà in §. *Ita in civitate*, hoc eſt, ideò ſolùm probata, quòd conſenſione Populi convaluiſſet. At poſt Cæſares Prudentium auctoritas, quibus illi permittebant Jura ponere, ordinare, condere, pars cœpit eſſe Juris Civilis ſcripti. §. *Conſtat autem*, & §. *Reſponſa Prudentum*, *Inſtit. de Iur. nat. gent. & civ.*

c *Propria parte aliqua non appellatur*. Hæc quidem interpretatio auctoritaſque Prudentium, proprio nomine vacat. Cæteræ partes Juris Civilis proprium nomen habent, veluti, Leges, Plebiſcita, Senatus Conſulta, Edicta, Conſtitutiones, hæc non habet aliud quàm commune nomen, ut ſequitur hic in textu. Ex Cujacio.

d *Datis propriis nominibus cæteris partibus*. In quibuſdam libris non ſunt hæc verba.

Ad §. Deinde ex his legibus.

Deinde ex his legibus, eodem tempore ferè, actiones (a) *compoſitæ ſunt, quibus inter ſe homines diſceptarent. quas actiones ne populus, prout vellet, inſtitueret: certas* (b) *ſolemneſque eſſe voluerunt: & appellatur hæc pars Iuris, legis actiones, ideſt, legitimæ actiones. Et ita eodem penè tempore tria hæc Iura nata ſunt: leges duodecim tabularum: ex his fluere cœpit Ius Civile, ex iiſdem legis actiones compoſitæ ſunt. Omnium tamen harum* (c), *& interpretandi ſcientia, & actiones, apud Collegium Pontificum erant: ex quibus* (d) *conſtituebatur quis quoquo anno præeſſet privatis. Et ferè* (e) *populus annis propè centum hac conſuetudine uſus eſt.*

a Actiones compoſitæ ſunt. Non dicit actiones inventas eſſe de Jure Civili. Sicuti enim de Jure gentium Judicia viguere, ita & actiones eſſe oportuit. Sed quia ante leges duodecim Tabularum, legitima agendi ſeries non fuerat, utpote quod pro cujuſque arbitrio ruditer ageretur, in-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

injectum eſt frenum, actioneſque ante informes, compoſitæ, ordineque poſitæ ſunt, ne populus, prout vellet, inſtitueret. Ex Z.

b *Certas, ſolemneſque*. Certas, ad numerum: Solemnes, ad formulam & verba. Cujac.

c *Omnium tamen harum*. Pro harum, ſcribe, duodecim tabulorum. *Cujac. hic, & lib. 18. Obſervat. cap. 11. in fine.*

d *Ex quibus conſtituebatur quis quoquo anno præeſſet privatis*. Hoc eſt, ex Pontificibus conſtituebatur unus, qui quoquo anno leges, quæ ad Jus privatum pertinebant, populo interpretaretur & reſponderet. Cæteri occupati erant in rebus ſacris atque publicis. *Ex eod. Cujac hic.*

e *Ferè*. In Pand. Flor. eſt, ferè: non in aliis.

Ad §. Poſteà cùm Appius Claudius.

Poſteà cùm Appius Claudius propoſuiſſet (a), *& ad* (b) *formam redegiſſet has actiones, Gnæus Flavius* (c) *ſcriba ejus libertini filius ſubreptum librum populo tradidit: & adeò gratum fuit id munus populo, ut Tribunus* (d) *plebis fieret, & Senator, & Ædilis curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur Jus civile Flavianum, ſicut ille,* (e) *Jus Civile Papirianum. Nam nec Gnæus Flavius de ſuo quidquam adjecit libro. Augeſcente Civitate, quia deerant quædam* (f) *genera agendi, non poſt multum temporis ſpatium Sextus* (g) *Ælius alias actiones compoſuit: & librum populo dedit, qui appellatur Jus Ælianum.*

a P*ropoſuiſſet*. Aptiùs, ut opinor, legeretur: compoſuiſſet.

b *Et ad formam redegiſſet*. Fortè Pomponius ſcripſerat, ad formulam, pro quo Tribunianus maluit, formam, quòd jam formulæ exoleviſſent lege Conſtantini. *Ex Cujac.*

c *Gnæus Flavius ſcriba ejus &c.* De hac hiſtoria ſic loquitur Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. Jus Civile per multa ſecula inter ſacra, cæremoniaſque deorum immortalium abditum,

ditum, ſoliſque Pontificibus notum, Gn. Flavius, libertino patre genitus, & ſcriba, cum ingenti nobilitatis indignatione, factus Ædilis Curulis, vulgavit, ac faſtos penè toto foro expoſuit. Faciunt etiam mentionem hujus hiſtoriæ Cicero in Oratione pro L. Murena, Livius lib. 9. ab Urbe condita circa finem, & Plinius lib. 33. cap. 1.

d *Ut Tribunus plebis fieret, & Senator*. Olim neque ſcribis Magiſtratuum, neque libertinorum filiis patebat aditus in Senatum. Sed poſteà recepti fuerunt.

e *Sicut ille Jus Civile Papirianum*. Ille liber Papirii, de quo ſupra meminerat Jure Conſultus in hac eadem lege in fine princ.

f *Quædam genera agendi*. Quædam aliæ formulæ. *Cujac.*

g *Sextus Ælius*. Sextus Ælius fuit ex Æliorum familia, de qua plura ſcribit Valerius Maximus lib. 4. cap. 4.

Ad §. Deinde cùm eſſet.

Deinde cùm eſſet in Civitate lex duodecim Tabularum, & Jus (a) *Civile, eſſent, &* (b) *legis actiones, evenit, ut plebs in diſcordiam eum patribus perveniret, & ſecederet, ſibique jura conſtitueret, quæ jura* (c), *Plebiſcita vocantur. Mox* (d) *cùm revocata eſt plebs: quia multæ diſcordiæ naſcebantur de his Plebiſcitis, pro legibus placuit & ea obſervari lege* (e) *Hortenſia. Et ita factum eſt, ut inter plebis ſcita, & legem, ſpecies conſtituendi intereſſent: poteſtas autem eadem eſſet.*

a ET *Jus Civile*. Quod legis XII. Tab. Interpretatio fuit.

b *Eſſent & legis actiones*. Erant enim compoſitæ certæ formulæ ſive actiones, quibus inter ſe cives diſceptarent, quæ pars Juris legis actiones appellatur.

c *Quæ iura Plebiſcita vocantur*. Quod à Plebe conſtituebatur, dicebatur Plebiſcitum, quaſi quod Plebs ſcivit ac ratum eſſe juſſit. *Theoph. in §. Plebiſcitum, Inſtit. de Jure nat. gent. & civ.*

d *Mox.*

d *Mox*. Mox, hoc loco non eſt, & continenti, ſed poſteà, ut apud latinos ſcriptores ſæpiſſimè.

e *Lege Hortenſia*. Tres leges hac ipſa de re latas eſſe invenio in libello de legibus. Horatiam Valeriam an.CCCIV. Publiliam anno CCCCXIV. & hanc Hortenſiam anno CCCCLXVII., quam tanquam poſtremam hoc loco ſolam Pomponius nominat.

Ad §. Deinde quia difficilè.

Deinde quia difficilè plebs convenire cœpit: populus certè multò difficiliùs in tanta turba hominum: neceſſitas (a) *ipſa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit. Ita cœpit Senatus ſe interponere, & quidquid conſtituiſſet, obſervabatur: idque Jus appellabatur Senatus Conſultum.*

a NEceſſitas ipſa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit. Lex tamen fuit jam inde ab Urbe condita, quæ omnium rerum poteſtatem Senatui permittebat, præter Magiſtratuum creationem, legum juſſa, & belli inferendi deponendive arbitrium. Horum enim poteſtas erat penès populi ſuffragia. *Dionyſ. Halicar. lib. 6. ult. med. Pomp. Let. de Magiſt. Rom. cap. 4.*

Ad §. Eodem tempore.

Eodem tempore & Magiſtratus (a) *iura* (b) *reddebant: & ut ſcirent Cives quod Jus de quaque re quiſque dicturus eſſet, ſeſque præmuniret: edicta* (c) *proponebant. quæ edicta prætorum,* (d) *ius honorarium conſtituerunt. Honorarium dicitur, quòd ab honore prætoris venerat.*

a ET *Magiſtratus*. Prætores intelligit.

b *Jura reddebant*. Jus dicebant litigantibus, ſive Juſtitiam adminiſtrabant.

c *Edicta proponebant*. In Albo.

d *Quæ*

d *Quæ edicta prætorum, jus honorariorum, &c.* Vide notata ſup. ad *l. Jus autem Civile 7. in fine, ff. de Juſt. & Jur.*

Ad §. Noviſſimè.

Noviſſimè, ſicut ad pauciores juris conſtituendi via tranſiſſe, ipſis rebus dictantibus, videbatur: per partes (a) *evenit* (b) *ut neceſſe eſſet reipublicæ per unum conſuli. Nam Senatus* (c) *non perinde omnes provincias probè* (d) *gerere poterat. Igitur conſtituto Principe, datum* (e) *eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet.*

a PEr partes. *κτ' μέρος*, & lento progreſſu à vi & poteſtate Regis ad populum, à populo ad Senatum, à Senatu ad unum non Regem, ſed Principem quaſi in Republica & Senatu primum, qui nec populi ſibi nec Senatus Jus omne vindicaret, ſed cum eo partiretur. *Cujac. hic*. Alii explicant: Per partes, ideſt, per factiones, quæ à pluribus Rempublicam tam commodè atque ab uno Principe adminiſtrare non ferebant.

b *Evenit ut neceſſe eſſet reipublicæ per unum conſuli. Nam Senatus, &c.* Adulatoris ſunt hæc Pomponii verba, Cæſarum ambitioni colorem quærentis. Conſtat enim Rempublicam à Cæſare, & mox à Triumviris, & ex his ab Auguſto, injuſtis armis invito Senatu, oppreſſam, & in Monarchiæ ſtatum mutatam fuiſſe.

c *Nam Senatus non perinde omnes Provincias, &c.* Sub Imperatoribus Senatus adhuc quaſdam Provincias rexit per Proconſules: quod conſtat ex Svet. in Auguſto, & Vopiſco in Probo.

d *Probè gerere*. Probè adminiſtrare. In aliis legitur: Providè regere.

e *Datum eſt ei jus, &c.* Et pro Auguſto lata fuit Lex Regia, qua Civitas ei totius Imperii adminiſtrationem permiſit, & pacis, & belli poteſtatem ad annos vitæ. Ex Strabone *lib. 17. in fine*. Eadem lex poſteà pro aliis Imperatoribus

fuit renovata. Vide notata infrà ad *l.* 1. *ff. de Conſtitut. Princip.*

Ad §. Ita in civitate.

Ita in civitate noſtra, aut jure, ideſt, (a) *lege conſtituitur: aut eſt proprium Jus* (b) *Civile, quod ſine ſcripto in ſola* (c) *prudentium interpretatione conſiſtit: aut ſunt legis actiones, quæ formam agendi continent: aut Plebiſcitum, quod ſine auctoritate* (d) *patrum eſt conſtitutum: aut eſt Magiſtratuum edictum, unde Ius honorarium naſcitur: aut Senatus Conſultum, quod ſolùm Senatu conſtituente inducitur ſine* (e) *lege: aut eſt Principalis Conſtitutio, ideſt, ut quod ipſe Princeps conſtituit, pro lege ſervetur.*

a IDeſt, lege. Lege ſcilicèt XII. Tabularum.

b *Aut eſt proprium Jus Civile.* Quod communi tantùm nomine Jus Civile appellatur. *Vide not. ſuprà ad §. His legibus latis, In verbo, Propria parte, &c.*

c *In ſola prudentium interpretatione.* Loquitur hic de illa interpretatione Prudentium, quæ mox poſt decem viros, ſine ſcripto emerſit. Vide not. ad dictum §. *His legibus latis, In verbo, Quod ſine ſcripto venit.*

d *Quod ſine auctoritate patrum.* Sine auctoritate Senatorum.

e *Sine lege.* Sine rogatione, quæ ad Populum fit pro lege ferenda.

Ad §. Poſt originem.

Poſt originem Juris & proceſſum cognitum, conſequens eſt ut de Magiſtratuum nominibus, & origine cognoſcamus: quia, ut expoſuimus, per eos qui Juri (a) *dicundo præſunt, effectus rei accipitur: parum enim eſt Jus in Civitate eſſe, niſi ſint qui jura* (b) *reddere poſſint. Poſt hæc deinde de auctorum* (c) *ſucceſſione dicemus, quòd conſtare non poſſit Jus, niſi ſit aliquis Juris peritus, per quem poſſit quotidie in melius produci.*

a *Per*

a Per eos qui Juri dicundo præſunt. Per magiſtratus.
b Jura reddere. In aliis legitur, Jura regere.
c Auctorum. Juriſperitorum.

Ad §. Quod ad Magiſtratus.

Quod ad Magiſtratus attinet, initio civitatis bujus conſtat Reges omnem (a) *poteſtatem habuiſſe. Iiſdem temporibus & Tribunum* (b) *Celerum fuiſſe conſtat: is autem erat qui equitibus præerat, & veluti ſecundum locum à Regibus obtinebat, quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor* (c) *fuit Regis* (d) *ejiciendi.*

a Reges omnem poteſtatem habuiſſe. Omnem poteſtatem, Populi ſcilicèt, & legum, & Magiſtratuum, quæ poſt in Republica fuit. *Cujac.*

b *Et Tribunum Celerum fuiſſe, &c.* Livius *lib.* 1. ſcribit, quod Romulus trecentos armatos ad cuſtodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello ſolum, ſed etiam in pace habuit. Qui ergo cis præerat, Tribunus Celerum dicebatur, & veluti ſecundum locum à Regibus obtinebat, ut in hoc §. Celeres autem, ut plerique ſcribunt, à miniſterii celeritate, quia prompti erant & ad opus veloces, Celeres dicti ſunt. Sed, ut Valerius Antias ait, à Celere duce ſuo, qui Remum occidiſſe dicitur, hoc nomen habent. Dionyſ. Halicarn. *Rom. Antiq. lib.* 2. *Feſtus lib.* 3.

c *Qui auctor fuit Regis ejiciendi.* Hanc hiſtoriam narrat idem Halicarn. lib. 4.

d *Regis ejiciendi.* Sic legitur in Pand. Flor. ſed rectius in aliis: Reges ejiciendi, ut notavi ſuprà ad. *§. Exactis.*

Ad §. Exactis deinde Regibus.

Exactis (a) *deinde Regibus, Conſules* (b) *conſtituti ſunt duo penès quos ſummum Jus uti eſſet, lege rogatum eſt. dicti ſunt ab eo, quòd plurimùm* (c) *Reipublicæ conſulerent, qui tamen*

men ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege (d) *lata factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet: néve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi. Solum relictum eſt illis, ut coercere poſſent, & in vincula publica duci juberent.*

a E*Xactis deinde Regibus*. Anno ab Urbe condita CCXLIV. Livius in fine *lib.* 1.

b *Conſules conſtituti ſunt duo. L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus*. Livius ubi ſuprà. Penès quos ſummum Jus uti eſſet, lege rogatum eſt, ut hic in textu. Et etiam idem Livius in principio *lib.* 2. ait, quod omnia jura, omnia inſignia primi Conſules tenuere. Factum fuit tamen annuum Imperium Conſulare, non perpetuum.

c *Quòd plurimùm Reipublicæ conſulerent*. Seu, ut ait Florus, ut conſulere ſe civibus debere meminiſſent.

d *Lege lata factum eſt, &c.* Ea eſt Lex Valeria lata à P. Valerio Poplicola Conſule, qua primùm factum eſt, ut à Conſulibus ad populum provocatio eſſet: néve poſſent in caput Civis Romani animadvertere injuſſu Populi. *tex. hic.* Livius *lib.* 2.

Ad §. Poſt deinde.

Poſt deinde, cùm cenſus jam majori tempore agendus (a) *eſſet, & Conſules* (b) *non ſufficerent huic quoque officio, Cenſores* (c) *conſtituti ſunt.*

a A*Gendus*. Agendus legi debet, non augendus. Livius lib. 4. Papyrium Sempronianumque cenſui agendo populus ſuffragiis præfecit.

b *Et Conſules non ſufficerent huic quoque officio*. Cenſura pars fuit Conſularis poteſtatis, & à Conſulibus ad creatos Cenſores tranſiit, quia Conſules rebus omnibus propter earum multitudinem ſufficere non poterant.

c *Cenſores conſtituti ſunt*. Duo Cenſores creati ſunt, Papyrius,

pyrius, & Sempronius, cenſuique agendo Præfecti, ab eaque re Cenſores appellati, M. Geganio Macerino, & T. Quintio Capitolino Conſulibus. Inſtitutumque ut quinquennio is magiſtratus perduraret: quod tamen tempus ob Cenſorum inſolentiam immutatum eſt ad annumque redactum, A Mamertio Æmilio Dictatore, Julio Virgilio, M. Apio Conſulibus. Feneſtella *De Magiſtratibus* cap. 17. Ubi etiam videre potes quanto Cenſuræ initium parva re ortum, incremento adauctum extiterit.

Ad §. Populo deinde aucto.

Populo deinde aucto, cùm crebra orirentur bella, & quædam acriora à finitimis inferrentur: interdum re exigente, placuit majoris poteſtatis Magiſtratum conſtitui. Itaque Dictatores (a) *proditi ſunt, à quibus nec* (b) *provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadverſio data eſt. Hunc Magiſtratum, quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſextum menſem retinere. Et his Dictatoribus Magiſtri* (c) *equitum jungebantur, ſic quomodo Regibus Tribuni* (d) *Celerum, quod officium ferè tale erat, quale hodie Præfectorum Prætorio, Magiſtratus* (e) *tamen habebantur legitimi.*

a *Itaque Dictatores proditi ſunt.* Dictator nullo alio pacto creari conſuevit, quàm cum vis aliqua major de improviſo oborta, ingentem Urbi cladem minitari videretur, & primus Dictator factus eſt T. Largius, Latino Sabinoque bello impendente, quadragintaque populis in Romanos conjuratis. Hunc Magiſtratum appellatum eſſe Dictatorem Marcus Varro ait, quòd futuros dictitare Magiſtratus ſolitus ſit. Prius non niſi è Patribus, Dictatorem legi fas fuit. Tandem id imminutum eſt, & primus de Plebe Dictator creatus eſt C. Marius Rutilius. Feneſtella *De Magiſtrat. Rom.* cap. 8.

b *A quibus nec provocandi jus fuit, &c.* Dictatores ſummam

mam poteſtatem habebant, à quibus nec provocandi Jus fuit, & quibus etiam capitis animadverſio data eſt, totiuſque Reipublicæ ſummam ditionem penes ſe Dictatores habuiſſe, veterum ſcripta teſtantur. Et propterea hunc Magiſtratum non erat fas ultra ſextum menſem retinere. *text. hic. l. Unica in princ. ff. de Officio Præfect. prat.* & Feneſtella *ubi ſuprà*. Maxima enim libertatis cuſtodia eſt, ſi magna Imperia diuturna non ſint.

c *Magiſtri equitum jungebantur, &c.* Dictator, ut lectus erat, Magiſtrum equitum ſibi eligebat, qui eodem munere apud eum fungeretur, quo apud Reges olim Tribuni Celerum, quod officium ferè tale erat, quale apud Principem hodie eſt officium Præfecti Prætorio. *text. hic. l. Unica in princ. ff. de offic. præfect. prat.*

d *Tribuni Celerum.* De Tribuno Celerum vide notata ſuprà ad §. *Quod ad Magiſtratus*.

e *Magiſtratus tamen habebantur legitimi.* His verbis Pomponius refutat opinionem eorum, qui ſub Dictatoribus exiſtimabant ceſſaſſe alios Magiſtratus, ſub primo Dictatore fortè ceſſarunt Conſules & alii Magiſtratus, ſub aliis manſerunt Magiſtratus legitimi, ideſt, ſtatuti & ordinarii, etiam Conſules. *Ex Cuiac. hic.*

Ad §. Iiſdem temporibus.

Iiſdem temporibus cùm (a) *plebs à Patribus ſeceſſiſſet, anno ferè ſeptimo decimo poſt Reges exactos: Tribunos* (b) *ſibi in Monte Sacro creavit, qui eſſent Plebei Magiſtratus. Dicti Tribuni, quod olim* (c) *in tres partes populus diviſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur: vel quia Tribuum ſuffragio creabantur.*

a *Cùm plebs à patribus ſeceſſiſſet.* Hæc prior ſeceſſio plebis principaliter facta fuit, quod plebs ampliùs pati non poterat creditorum crudelitatem, de qua ſæpiùs conqueſta fuerat, ſed à Patribus vana ſpe deluſa.

b *Tri-*

b *Tribunos ſibi in Monte Sacro creavit*. Duos Tribunos prima hac ſeceſſione habere Plebs cœpit, A. Virginio, T. Vetuſio Conſulibus. Alia rurſus ſeceſſione tres additi, Appio Claudio, & C. Quintio Conſulibus. Mox quinque item alii, Conſulibus M. Horatio Pulvillo, & Q. Minutio. Hoc pacto decem Tribunis in plebem Romanam fuit juriſdictio. Tribunorum verò tanta crevit auctoritas, ut quidquid Senatus decreviſſet, ira demum ratum haberetur, ſi Tribuni approbaſſent. Feneſt. *de Magiſt. Rom.* cap. 10.

c *Quod olim*. Quia dicit, olim, non reſpicit ad tempus illud, quo primum Plebs Tribunos Plebis habere cœpit, ſed ad vetuſtiorem Tribunorum militum appellationem ex eo ductam, quod olim in tres partes populus diviſus erat, & ex ſingulis partibus ſinguli Tribuni crearentur. Poſteà cùm Plebs à patribus ſeceſſiſſet anno ferè ſeptimodecimo poſt Reges exactos: Tribunos ſibi in monte Sacro creavit, qui eſſent plebei Magiſtratus, & dicti, fuerunt Tribuni Plebis, non autem militum, ut ſupradicti. *Ex text. & Cuiac. hic*.

Ad §. Itemque ut eſſent.

Itemque ut eſſent qui ædibus (a) *præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat: duos ex plebe conſtituerunt, qui etiam Æ diles appellati ſunt*.

a QUi *ædibus præeſſent*. Qui præeſſent ædibus ſacris, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat. Et poſteà inſtitutum etiam fuit à L. Valerio, & M. Horatio Conſulibus, ut Senatus Conſulta in Ædem Cereris ad Ædiles Plebis deferrentur: quæ antè arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabanturque. Livius lib. 3.

b *Omnia ſcita ſua*. Omnia ea, quæ pro legibus habèbat.

c *Æ diles appellati ſunt*. Et etiam Æditui. §. *Tutores. Inſtit. de Tutelis*.

Ad §. Deinde cùm ærarium.

Deinde cùm ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet: ut eſſent qui illi praeſſent, conſtituti ſunt (a) *Quæſtores, qui pecuniæ* (b) *praeſſent: dicti ab eo, quòd* (c) *inquirendæ & conſervandæ pecuniæ cauſa creati erant.*

a CONſtituti ſunt Quæſtores. Quæſtores, Regibus etiam imperantibus, inſtituti ſunt: quod Lex Curiata oſtendit ab L. Bruto repetita. Manſitque Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem Populus mandaret. Tacitus *Annal.* lib. 11.

b *Qui pecuniæ praeſſent.* Sic legitur in Pand. Flor. In aliis non ſunt hæc verba.

c *Dicti ab eo, quòd inquirendæ, &c.* A genere quærendi Quæſtores initiò dictos & Junius, & Trebatius, & Feneſtella ſcribunt. *l. Unica, ff. de offic. quæſt.*

Ad §. Et quia.

Et quia, ut diximus, (a) *de capite civis Romani injuſſu populi non erat lege permiſſum Conſulibus jus dicere: propterea quæſtores conſtituebantur à populo, qui capitalibus rebus præeſſent. hi appellabantur* (b) *quæſtores parricidii, quorum etiam meminit lex duodecim Tabularum.*

a ET *quia, ut diximus, de capite civis Romani, &c.* Vide notata ſuprà ad §. *Exactis deinde Regibus.*

b *Hi appellabantur quæſtores parricidii.* Quæſtores dicebantur, qui quærerent de rebus capitalibus. Unde qui talia quærunt, Quæſtores parricidii appellantur. Feſtus. Quia ſcilicèt tum omne crimen capitale, parricidium dicebatur. *Cujac.*

Ad

Ad §. Et cum placuiſſet.

Et cùm placuiſſet (a) *leges quoque ferri, latum* (b) *eſt ad populum, ut omnes magiſtratu ſe abdicarent: & Decemviri conſtituti ſunt anno uno. Hi cùm magiſtratum prorogarent ſibi, & cùm injurioſè tractarent, neque vellent deinceps ſufficere* (c) *Mngiſtratibus, ut ipſi & factio ſua* (d) *perpetuò Rempublicam occupatam retinerent: nimia, atque aſpera dominatione, eò rem perduxerunt, ut txercitus à Republica ſecederet. Initium fuiſſe* (e) *ſeceſſionis dicitur Virginius quidam, qui cùm ipſe animadvertiſſet Apium* (f) *Claudium contra* (g) *Jus, quod ipſe ex* (h) *vetere Jure in duodecim Tabulas tranſtulerat, vindicias* (i) *filiæ ſuæ à ſe abdixiſſe: & ſecundum eum, qui in ſervitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe: captumque amore virginis, omne fas ac nefas miſcuiſſe: indignatus* (k), *quod vetuſtiſſima juris obſervantia in perſona filiæ ſuæ defeciſſet (utpotè cùm Brutus, qui primus Romæ Conſul fuit, vindicias ſecundum libertatem dixiſſet in perſona Vindicis* (l) *Vitelliorum ſervi, qui proditionis* (m) *conjurationem indicio ſuo detexerat) & caſtitatem filiæ, vitæ quoque ejus præferendam putaret: arrepto cultro de taberna lanionis, filiam interſecit: in hoc ſcilicèt ut morte virginis contumeliam ſtupri arceret. ac protinus recens à cæde, madenteque* (n) *adhuc filiæ cruore, ad commilitones confugit, qui univerſi de* (o) *Algido, ubi tunc belli gerendi cauſa legiones erant, relictis ducibus priſtinis, ſigna in* (p) *Aventinum tranſtulerunt. Omniſque plebs urbana mox eodem ſe contulit, populique* (q) *conſenſu partim in carcere necati. Ita rurſus Reſpublica ſuum ſtatum recepit.*

a ET *cùm placuiſſet leges quoque ferri, &c.* Jam redierant Legati cum Atticis legibus. Eo intentius inſtabant Tribuni, ut tandem ſcribendarum legum initium fieret. Placuit creari Decemviros ſine provocatione, & ne quis eo

anno alius Magiſtratus eſſet. Ex Livio lib. 3.

b *Latum eſt ad populum, &c.* Latum eſt ad populum, ut populus juberet omnes qui cum imperio eſſent, magiſtratu ſeſe abdicare. *Ex Bud. hic.*

c *Sufficere Magiſtratibus Tex. Nor.* Sufficere Magiſtratus. Et Accurſius hic interpretatur, Subſtituere magiſtratus.

d *Ut ipſi & factio ſua perpetuò Rempublicam occupatam retinerent.* Opinio fuit, fedus clandeſtinum inter ipſos jurejurando dictum, ne comitia haberent: perpetuoque Decemviratu poſſeſſum ſemel retinerent imperium. Livius dicto lib. 3. Feneſt. *De Magiſt. Rom.* cap. 14.

e *Initium fuiſſe ſeceſſionis dicitur, &c.* Hæc altera ſeceſſio plebis Romanæ à Patribus, quam ſexageſimo anno poſt reges exactos factam fuiſſe teſtis eſt Cicero lib. 2. *de finibus*. De priore diximus ſuprà ad §. *Iiſdem temporibus*. De hiſtoria verò, quæ poſita eſt hic in textu vide Livium lib. 3. Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 11. Feneſtel. *de Magiſtrat. Rom.* cap. 14.

f *Appium Claudium.* Is erat unus ex Decemviris.

g *Contra jus.* De Vindiciis dandis ſecundum libertatem. Ideſt, ut qui de ſtatu ſuo litigat, in poſſeſſionem libertatis conſtituatur: Et interim liberi loco eſt, nec poſſidetur ab eo, qui ſe dominum dicit. Cujac. *Obſervat.* lib. 18. cap. 23.

h *Ex vetere jure.* Ex vetuſtiſſima Juris obſervantia, ut ſequitur hic in textu. Ideſt, ex Jure Civili, quod ſine ſcripto in ſola Prudentium interpretatione conſiſtebat. Nam & ex moribus Populi Romani pleraque in XII. Tab. tranſlata ſunt. *Cujac. hic.*

i *Vindicias filiæ ſuæ à ſe abdixiſſe, &c.* Seu, abjudicaſſe. Hoc eſt, Aſſertionem poſſeſſionis filiæ ſuæ ſibi ademiſſe, & adverſario eam adjudicaſſe...

k *Indignatus.* Virginius pater virginis.

l *Vindicis.* Vindicii, non vindicis, legendum eſt ex Livio lib. 2.

m *Qui proditionis conjurationem.* De Rege Tarquinio reducendo.

n *Ma-*

n *Madenteque*. In vulgatis rectius, Madenſque.

o *De Algido*. De Algido monte.

p *In Aventinum*. In Aventinum Montem.

q *Populique conſenſu, &c.* Sic textum emendatum leges: Ità populi conſenſu Decemviris partim in carcere necatis, partim in exilium actis, rurſus Reſpublica ſuum ſtatum recepit.

Ad §. Deinde cum poſt aliquot annos.

Deinde cùm poſt aliquot annos quàm duodecim Tabulæ latæ ſunt: & plebs contenderet cum patribus, & vellet ex ſuo quoque corpore Conſules creare, & patres recuſarent: factum eſt ut (a) *Tribuni militum crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus, conſulari* (b) *poteſtate. Hique conſtituti ſunt vario numero: interdum enim ſex* (c) *fuerunt, interdum plures* (d), *nonnunquam* (e) *pauciores.*

a *Factum eſt ut Tribuni militum crearentur, partim ex plebe, &c.* Livius lib. 4. Per hæc conſilia eò deducta res eſt, ut Tribunos militum conſulari poteſtate promiſcuè ex patribus ac plebe creari ſinerent. Primos tamen Tribunos omnes patricios creavit Populus, contentus eo, quòd ratio habita plebejorum eſſet. Et anno Urbis conditæ CCCX. Primi Tribuni militum, qui tres fuerunt, Proconſulare Imperium acceperunt. Livius ubi ſuprà, & Dionyſ. Halicarnaſ. *Rom. Antiq.* lib. 11. in fine.

b *Conſulari poteſtate*. Qui pro Conſulibus eſſent.

c *Interdum enim ſex*. Sex, legendum eſt, non ut in Pand. Flor. (viginti)

d *Interdum plures*. Puta, octo. Livius in princ. lib. 5.

e *Nonnunquam pauciores*. Puta, quatuor, vel tres.

Ad §. Deinde cum placuiſſet.

Deinde cum placuiſſet creari (a) *etiam ex plebe Conſules: cœ-*

perunt ex utroque (b) *corpore conſtitui. Tunc, ut aliquo pluris patres* (c) *haberent, placuit duos ex numero patrum conſtitui: ita facti ſunt* (d) *ædiles curules.*

a *CReari etiam ex plebe Conſules.* Comitiis Conſulum adverſa nobilitate habitis, L. Sextius de plebe primus Conſul factus fuit. Poſteà tamen conceſſum ab nobilitate plebi, de Conſule plebejo creando. ex Livio in fine lib. 6.

b *Cœperuut ex utroque corpore conſtitui.* Abrogata Tribunorum militum Conſulari poteſtate, de qua in §. præced.

c *Haberent.* In aliis, haberentur.

d *Ita facti ſunt ædiles curules.* Livius in princ. lib. 7. Annus hic erit inſignis novi hominis Conſulatu, inſignis novis duobus Magiſtratibus, Prætura, & Curuli Ædilitate. Hos ſibi patricii quæſivere honores pro conceſſo plebi altero Conſulatu. Ædiles ab ædibus nomen habent. Nam ædes ſacras, & privatas procurabant. Varro lib. 4. *De Ling. Lat.* Curules verò dicuntur, quod ſellis curulibus uterentur tamquam Patricii magiſtratus. Idem Livius ubi ſuprà. Gèllius lib. 6. cap. 9. In curru enim ſella erat, ſuprà quam conſidebant, quæ ob eam cauſam curulis appellabatur. Gellius lib. 3. cap. 18. Et ab Ædilibus curulibus ſunt Ædicta ædilitia, quæ habemus, non ab Ædilibus plebis, qui non inſidebant ſellæ curuli. Cujac. in ult. not. ad textum noſtrum.

Ad §. Cumq́ue Conſules.

Cumq́ue Conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet qui in Civitate Jus reddere poſſet: factum eſt (a) *ut Prætor quoque crearetur, qui urbanus appellatus eſt, quòd in Urbe jus redderet.*

a *FActum eſt ut Prætor quoque crearetur.* Ex Patribus. Livius in fine lib. 6. Conceſſumq́ue ab nobilitate plebi, de Conſule plebejo; à plebe nobilitati, de prętore uno,

qui

qui Jus in urbe diceret, ex patribus creando. Et à præeſſendo (ut voluit Feneſtella *de Magiſt. Rom.* cap. 19.) Prætor fuit appellatus.

Ad §. Poſt aliquot.

Poſt aliquot deinde annos, non ſufficiente eo prætore, quòd multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret: creatus eſt & alius prætor, qui peregrinus appellatus eſt ab eo quòd plerumque (a) *inter peregrinos Jus* (b) *dicebat.*

a QVod plerumque inter peregrinos Jus dicebat. Prætor peregrinus jus dicit inter peregrinos ſi peregrinus in Urbe ex contractu fortè ibi habito adverſus peregrinum agat, vel inter peregrinos & cives ſi peregrinus adverſus civem, abſque dubio quia actor ſequitur forum rei, fortè & ſi civis adverſus peregrinum, quia commune id utrique forum eſt. Ex Cujac. hic.

b *Jus dicebat*. Tex. Nor. Jus reddebat.

Ad §. Deinde cùm eſſet.

Deinde cùm eſſet neceſſarius Magiſtratus, qui haſtæ (a) *præeſſet: Decemviri litibus judicandis ſunt conſtituti.*

a QVi haſtæ præeſſet. Hoc loco Decemviri litibus judicandis haſtæ præeſſe dicuntur, quæ & Decemviralis dicitur & Centumviralis, quia haſta & ea quidem duplex ſignum erat in foro exercendi Judicii Centumviralis, quamobrem & haſtæ Centumviralis nomine ſignificantur Judicia Centumviralia. Ut autem Conſulis eſt vocare & cogere Senatum, & Conſul ipſe quidem eſt Magiſtratus, ſed non etiam cæteri Senatores, ita Decemviri litibus judicandis cogunt Centumviros, eiſque præſident, & ſunt quidem ipſi Decemviri Magiſtratus & Centum virorum ſententias exequuntur: Decemviri, inquam, Magiſtra-

ſtratus non judices. Cæteri Centumviri Judices, non Magiſtratus. Ex Cujac. hic.

Ad §. Eodem tempore.

Eodem tempore (a) *& Quatuor viri, qui curam viarum gererent* (b): *& Triumviri* (c) *monetales, æris, argenti, auri flatores: & Triumviri capitales,* (d) *qui carceris cuſtodiam haberent: ut cùm animadverti oporteret, interventu eorum fieret.*

a EOdem tempore & quatuor viri, &c. Ex fine præced §. repetendum eſt: conſtituti ſunt. Et quod dicitur in hoc §. confirmatur ex Feneſtella cap. 23. & Pomp. Læt. cap. *de Prætoribus, &c. de Magiſt. Rom.*

b *Gererent*. In aliis, agerent.

c *Monetales*. Hi enim monetæ fabricandæ curam habuere.

d *Et Triumviri capitales, qui carceris cuſtodiam haberent, &c.* Triumviros capitales carceris cuſtodiam habuiſſe per miniſtros, & per eoſdem etiam capitales ſententias à Judicibus datas executioni mandaſſe, conjicere licet ex Valer. Max. lib. 5. cap.4. Ubi illud memorabile commemorat de muliere quam Prætor capitali crimine damnatam, Triumviro in carcere necandam tradiderat: quam receptam, is, qui cuſtodiæ præerat, miſericordia motus, non protinus ſtrangulavit: aditum quoque ad eam filiæ, ſed diligenter excuſſæ, ne quid cibi inferret, dedit: exiſtimans futurum ut inedia conſumeretur damnata: ſed obſervata filia, animadvertit illam exerto ubere famem matris lactis ſui ſubſidio lenientem: quæ tam admirabilis ſpectaculi novitas ab ipſo ad Triumvirum, à Triumviro ad Prætorem, à Prætore ad Conſulum judicium perlata, remiſſionem pœnæ mulieri impetravit.

Ad

Ad §. Et quia Magiſtratibus.

Et quia Magiſtratibus (a) *veſpertinis temporibus in publicum eſſe inconveniens erat, Quinque viri* (b) *conſtituti ſunt cis Tiberim, & ultra Tiberim, qui poſſent pro* (c) *Magiſtratibus fungi.*

a ET *quia Magiſtratibus, &c.* Feneſt. *de Rom. Mag. cap. de Pratoribus.*

b *Quinque viri conſtituti ſunt cis Tiberim.* Hi poſteà Ædiles Senatus Conſulto creabantur. ut infrà §. *Et hæc omnia.*

c *Qui poſſent pro Magiſtratibus fungi.* Nec enim erant Magiſtratus, ſed locum Magiſtratuum ſupplebant.

Ad §. Capta deinde.

Capta (a) *deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonenſi provincia: totidem prætores* (b) *quot provinciæ in ditionem venerant, creati ſunt: partim qui Urbanis rebus, partim qui provincialibus praeeſſent. Deinde Cornelius Sylla quæſtiones* (c) *publicas conſtituit: veluti de falſo, de* (d) *parricidio, de* (e) *ſicariis (de injuriis)*; *& prætores quatuor adjecit. Deinde Gajus Julius Cæſar duos prætores, & duos ædiles qui frumento* (f) *praeeſſent, & à Cerere Cereales conſtituit. Ita duodecim prætores, ſex ædiles ſunt creati. Divus deinde Auguſtus ſexdecim prætores conſtituit. Poſt* (g) *deinde Divus Claudius duos prætores adjecit, qui de* (h) *fideicommiſſo jus dicerent: ex quibus unum Divus Titus detraxit, & adiecit unum Divus Nerva, qui inter* (i) *fiſcum & privatos ius diceret. Ita decem & octo prætores in civitate ius dicunt.*

a CApta *deinde Sardinia, &c.* Feneſtella *de Roman. Mag.* cap. 19.

b *Totidem prætores quot provinciæ in ditionem venerant,*

creati ſunt. Quatuor prætores propter has quatuor Provincias captas creati ſunt: & cùm anteà duo tantùm crearentur prætores, Urbanus, & Peregrinus: ex tunc ſex prætores creari cœperunt.

c *Quæſtiones publicas conſtituit*. Et rectè: Dicebat enim Socrates, ſubverti civitatem & patriam, in qua judicia publica vim non haberent.

d *De parricidio*. De quo poſteà lex Pompeja. *l.* 1. *ff. ad legem Pomp. de parricid.*

e *De ſicariis*. Et veneficiis. Is enim, cui ex lege Cornelia de ſicariis obtigit quæſtio, etiam dè veneficiis proculdubio quærit. *l.* 1. *&* 3. *ff. ad leg. Cornel. de ſicar. & venefic.*

f *Qui frumento praeſſent*. Qui curarent rem frumentariam, ne penuria in urbe eſſet.

g *Poſt deinde, &c.* Poſt deinde Divus Claudius duos prætores adjecit, qui de fideicommiſſo jus dicerent: ex quibus unum Divus Titus detraxit. *tex. hic*. Prætor tamen Romę de fideicommiſſis uſque ad certam ſummam tantùm cognoſcebat, de majore Conſules jus dicebant, quemadmodum intelligitur ex Quintil. *Inſtit. Orat.* lib. 3. cap. 6. Non debes, inquit, apud Prætorem petere fideicommiſſum, ſed apud Conſules: major enim prętoria cognitione ſumma eſt. In Provinciis verò cognitio erat Præſidium Provinciarum. Ulpian. *in frag. tit.* 25. *§. fideicommiſſa.*

h *Qui de fideicommiſſo jus dicerent.* Qui ſcilicèt pronunciarent de fideicommiſſis & pronunciatum exequerentur. *Cujac. hic*. Et Prætor, qui de fideicommiſſis jus dicebat, fideicommiſſarius appellabatur. *§.* 1. *in fine*, *Inſtit. de fideicommiſſ. hæredit. & idem Ulpianus ubi ſuprà*.

i *Qui inter fiſcum & privatos jus diceret*. Quo munere in provinciis funguntur procuratores Cæſaris ſive Rationales. ex eod. Cujac.

Ad §. Et hæc omnia.

Et hæc omnia, quoties in (a) *Republica ſunt Magiſtratus, ob-*

obſervantur: quoties autem proficiſcuntur, unus relinquitur, qui jus dicat. is vocatur Præfectus urbi, qui Præfectus (b) *olim conſtituebatur: poſtea* (c) *verò Latinarum* (d) *feriarum cauſa, introductus eſt, & quot annis obſervatur. Nam Præfectus annonæ, & vigilum,* (e) *non ſunt Magiſtratus, ſed extra ordinem utilitatis cauſa conſtituti ſunt. Et tamen hi, quos* (f) *Ciſtiberes diximus, poſteà Ædiles Senatus Conſulto creabantur. Ergo ex his omnibus decem Tribuni plebis, Conſules duo, decem & octo Prætores, ſex Ædiles in civitate jura reddebant.*

a QUoties in Republica ſunt Magiſtratus. Quoties Romę ſunt Magiſtratus. Feneſtella.

b *Qui Præfectus olim conſtituebatur.* Olim Præfectus urbi pro Regibus aut Magiſtratibus juridicundo conſtituebatur ad tempus illis Urbe profectis ad bellum, vel ad provincias ſuas. Poſt cœpit conſtitui ad paucos dies tantùm quoad ſolemne ſacrum feriarum Latinarum ritè peractum eſſet, quod extra urbem fiebat præſentibus omnibus Magiſtratibus Urbanis ferè quotannis. Cujac. hic. Poſtremis verò temporibus immutata eſt ratio Præfecturæ urbis, ut conſtat ex *l.* 1. *& ſeq. ff. de Offic. Præfect. Urb.*

c *Poſtea vero.* In aliis: poſtea ferè.

d *Latinarum feriarum cauſa.* Latinæ feriæ dicebantur, quę quotannis in Albano monte à quinquaginta Latinis Civitatibus Romaniſque Magiſtratibus quatriduano ſacrificio Jovi Latiali celebrabantur. *Ex Magiſtrat. Rom. deſcrip. In verbo Præfectus urbi.*

e *Nam Præfectus annonæ, & vigilum, non ſunt Magiſtratus.* Non ſunt Magiſtratus ſtatuti & legitimi: ſed extra ordinem moremque conſuetum ad tempus, utilitatis cauſa conſtituti. Poſtea tamen facti ſunt legitimi atque perpetui. Cujac.

f *Quos Ciſtiberes diximus.* Vide ſuprà ad *§. Et quia Magiſtratibus.*

Ad §. Juris Civilis.

Juris Civilis ſcientiam plurimi & maximi viri profeſſi ſunt. Sed eorum qui maximæ (a) *dignationis apud P. Romanum fuerunt, in præſentia mentio* (b) *habenda eſt: ut appareat à quibus & qualibus, hæc jura orta & tradita ſunt. Et quidem ex omnibus qui ſcientiam nacti ſunt, ante* (c) *Tiberium Coruncanium publicè profeſſum neminem traditur: cæteri autem ad* (d) *hunc vel in latenti* (e) *Jus civile retinere cogitabant, ſolumque conſultatoribus vacare potiùs, quàm diſcere volentibus ſe præſtabant.*

a *Maximæ dignationis*. Exiſtimationis & honoris.
b *Mentio habenda eſt*. Ne prætereantur ut incogniti, qui virtutis ſplendore viguerunt.

c *Ante Tiberium Coruncanium*. In Faſtis Conſularibus lego, quòd Tiberius Coruncanius fuit Conſul cum P. Valerio, anno ab Urbe condita CDLXXIII. Et in Epitome Liviana lib. 18. habetur, quòd T. Coruncanius primus ex plebe Pontifex Maximus creatus fuit.

d *Ad hunc*. Coruncanium.

e *In latenti Jus Civile retinere cogitabant*. Obtinendæ atque augendæ potentiæ ſuæ cauſa.

Ad §. Fuit autem.

Fuit autem in primis peritus Publius (a) *Papirius, qui leges Regias in unum contulit. Ab hoc Appius Claudius, unus ex Decemviris, cujus maximum conſilium in duodecim Tabulis ſcribendis fuit. Poſt hunc Appius Claudius ejuſdem generis maximam ſcientiam habuit. hic Cæcus* (b) *appellatus eſt, Appiam viam ſtravit, & aquam* (c) *Claudiam induxit, & de Pyrrho* (d) *in urbe non recipiendo ſententiam tulit. hunc etiam actiones ſcripſiſſe traditum* (e) *eſt, primum* (f) *de uſurpationibus, qui liber non extat. Idem* (g) *Appius Clau-*

Claudius, qui videtur ab hoc (h) *proceſſiſſe*, R, *literam* (i) *invenit, ut pro Valeſii Valerii eſſent, & pro Fuſiis Furiis.*

a *Publius Papirius.* Alii habent: Sextus Papirius. Is leges Regias in unum compoſuit, & liber in quo conſcriptę extant, appellatur Jus Civile Papirianum. *noſtra l. 2. in fine princ.*

b *Hic cæcus appellatus eſt.* In Pand. Flor. legitur: Hic Centemmanus appellatus eſt. Sed Haloand. & Oroſ. exiſtimant legendum eſſe; cæcus.

c *Et aquam Claudiam induxit.* Alia eſt aqua Claudia, quam Claudius Cæſar induxit.

d *Et de Pyrro in Urbe non recipiendo, &c.* In Epitom. libri 13. T. Livii: Cina legatus à Pyrrho ad Senatum miſſus, petiit, ut, componendæ pacis cauſa, Rex in urbem reciperetur. De qua re cum ad frequentiorem Senatum referri placuiſſet, Appius Claudius, qui propter invaletudinem oculorum, jamdiu conſiliis publicis ſe abſtinuerat, venit in curiam, & ſententia ſua tenuit, ut id Pyrrho negaretur.

e *Traditum eſt.* Suprà ad §. *Poſteà cùm Appius Claudius.*

f *Primùm de uſurpationibus, &c.* Textum hoc loco uſque ad finem §. Depravatum eſſe certum eſt. Quibuſdam videtur ſic poſſe emendari: Inde Appius Claudius, qui videtur ab hoc proceſſiſſe, primus de uſurpationibus ſcripſit, qui liber non exſtat, & R literam invenit, ut pro Valeſiis, Valerii eſſent; pro Fuſiis, Furii.

g *Idem.* Legendum: Inde.

h *Ab hoc.* Ab Appio Claudio Cæco.

i *R, literam invenit.* R, pro S, introduxit in quibuſdam nominibus.

Ad §. Fuit poſt eos.

Fuit poſt eos maximæ ſcientiæ Sempronius (a), *quem populus Romanus* ΣΟΦΟΝ (b) *appellavit: nec quiſquam ante hunc, aut poſt hunc hoc nomine cognominatus eſt. Gajus* (c) *Scipio*

pio Naſica, qui optimus à Senatu appellatus eſt, cui etiam publicè domus in ſacra (d) *via data eſt, quò faciliùs conſuli poſſet. Deinde Q.* (e) *Mucius, qui ad Carthaginenſes miſſus legatus, cùm eſſent duæ* (f) *teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli: arbitrio ſibi dato, utram vellet referret Romam, utramque ſuſtulit, & ait, Carthaginenſes petere debere, utram mallent accipere.*

a S*Empronius*. In Faſtis Conſularibus lego, quòd P. Sempronius Sophus fuit Conſul cum P. Sulpitio Saverrione, anno ab Urbe condita CDXLIX.

b ΣΟΦΟΝ *appellavit*. Græco Sapientiæ nomine.

c *Gajus Scipio Naſica, qui optimus à Senatu appellatus eſt.* Livius lib. 29. Ubi tamen, non Gajum, ſed P. eum prænominat. Et Valerius Maximus lib. 5. cap. 3. ſcribit tantum laudis Scipionem Naſicam toga, quantum armis utrumque Africanum meruiſſe.

d *In ſacra via*. Hanc viam ideò ſacram dici quidam exiſtimant, quòd in ea fœdus initum ſit inter Romulum & Tatium Regem Sabinorum. Alii aliter. De hac Via mentionem facit Horat. 1. Serm. Sat. 9. in princ.

Ibam fortè via Sacra, ſicut meus eſt mos.

e *Deinde Q. Mucius, &c.* Alii auctores pro Mucio Fabium nominant. Diſſentiunt etiam in hiſtoria à Pomponio: Immo nec inter ſe per omnia conſentiunt. Plus autem, uti rem narrant, Carthaginenſibus magnanimitatis tribuunt, & Pomponius noſter minus cum extremam facit hanc Q. Mucii vocem Carthaginenſes petere debere utram teſſeram accipere mallent. Romanorum ſcilicèt eſſe dare optionem, Carthaginenſium accipere. Et ideò narratio Pomponii probabilior eſt. Ex Cujac.

f *Duæ teſſeræ*. Duo ſigna, unum Pacis, alterum Belli.

Ad §. Poſt hos fuit.

Poſt hos fuit Tiberius Coruncanius, ut (a) *dixi, qui primus pro-*

profiteri cœpit: cujus tamen ſcriptum nullum extat; ſed reſponſa complura & memorabilia ejus fuerunt. Deinde Sextus Ælius, & frater ejus Publius Ælius, & Publius Atilius maximam ſcientiam in profitendo habuerunt: ut duo Ælii (b) *etiam Conſules fuerint. Atilius autem primus à populo Sapiens* (c) *appellatus eſt. Sextum Ælium* (d) *etiam Ennius laudavit, & extat illius liber, qui inſcribitur Tripartita, qui liber veluti cunabula Juris continet. Tripartita autem dicitur: quoniam lege XII. Tabularum præpoſita, jungitur interpretatio: dein ſubtexitur legis* (e) *actio. Eiuſdem eſſe tres alii libri referuntur: quos tamen quidam negant eiuſdem eſſe. Hos ſectatus ad aliquid eſt* (*Cato* (f) *Deinde*) *Marcus* (g) *Cato princeps Portiæ familiæ: cuius & libri extant: ſed plurimi* (h) *filii eius, ex quibus* (i) *cæteri oriuntur.*

a UT dixi. *Ad §. Juris Civilis, ſuprà eod.*

b *Ut duo Ælii etiam Conſules fuerint.* Sex. Ælius Conſul fuit cum T. Quinctio Flaminio, anno ab urbe condita DLV. P. Ælius Conſul fuit cum Cn. Cornelio Lentulo, anno ab urbe condita DLII. Ex Faſtis Conſularibus.

c *Sapiens appellatus eſt.* Ut Sempronius ΣΟΦΟΝ. *§. Fuit poſt hos ſuprà eod.*

d *Sextum Ælium etiam Ennius laudavit.* Sextum Ælium virum fuiſſe legalis ſcientię peritiſſimum, apud omnes conſtat: de quo vide Cicer. in primo *Tuſcul.* & in primo *de Orat.*

e *Legis actio.* Hoc eſt, quomodo lege agi poſſit, ne formulis neglectis cauſa caderetur.

f (*Cato deinde.*) Hæc verba ſubdititia ſunt.

g *Marcus Cato.* M. Porcius Cato Juriſconſultus Conſul fuit cum L. Valerio Flaco, anno ab urbe condita DLVIII. Juris Civilis peritiſſimus fuit, ut Cicero ait lib. 1. *De Oratore.* Ejus res geſtas Plutarchus in Catone exponit & Livius lib. 33. & 34. ſed maximè lib. 39.

h *Sed plurimi filii eius.* Sed plurimi libri filii ejus. Bud.

Duos

Duos M. Cato habuit filios, quorum major, prætor deſignatus, patre vivo mortuus eſt, & egregios de Juris diſciplina libros reliquit. Gellius lib. 13. cap. 18.

i *Ex quibus cæteri oriuntur.* Ex quibus libris Marci Catonis & filii ejus, cæteri à Jure Conſultis conſcripti, oriuntur. Alii explicant, ex quibus, Marco Catone & filio ejus, cæteri Porciæ familiæ oriuntur.

Ad §. Poſt hos fuerunt.

Poſt hos fuerunt Publius (a) *Mucius, & Brutus*, (b) *& Manilius: qui fundaverunt* (c) *Jus Civile. Ex his Publius Mucius etiam decem libellos reliquit: Brutus ſeptem: Manilius tres. Et extant volumina* (d) *ſcripta, Manilii monumenta. Illi duo* (e) *Conſulares fuerunt: Brutus prætorius: Publius autem Mucius etiam Pontifex Maximus.*

a PUblius *Mucius*. Scævola.

b *Et Brutus & Manilius*. Gellius lib. 17. cap. 7. & Brutum, & Manilium viros apprimè doctos fuiſſe ſcribit.

c *Qui fundarunt Jus Civile*. Qui Jus Civile, veluti fundamento quodam, ſtabilierunt.

d *Volumina ſcripta*. Textus Noricus habet: Volumina inſcripta.

e *Illi duo Conſulares fuerunt*. P. Mucius Scævola, Conſul fuit cum L. Calphurnio, anno DCXX. M. Manilius, Conſul fuit cum L. Marcio Cenſorino, anno DCIV.

Ad §. Ab his.

Ab his (a) *profecti ſunt Publius* (b) *Rutilius Rufus, qui Romæ* (c) *Conſul, & Aſiæ* (d) *Proconſul fuit: Paulus* (e) *Virginius, & Quintus Tubero* (f) *ille Stoicus Panſæ* (g) *auditor, qui & ipſe* (h) *Conſul. Etiam Sextus Pompeius Gnaei Pompeii patruus* (i) *fuit eodem tempore: & Cælius* (k) *Antipater, qui hiſtorias conſcripſit: ſed plus eloquentiæ,*

quàm

quàm ſcientiæ Juris, *operam dedit*. *Etiam* (l) *Lucius Craſſus*, *frater Publii Mucii*, *qui Mucianus dictus eſt*. *hunc* (m) *Cicero ait Juriſconſultorum diſertiſſimum*.

a AB *his profecti ſunt*, *&c.* A ſuperiorum Jureconſultorum doctrina, ſequentes profecti ſunt.

b *Publius Rutilius*. Publius Rutilius cum amici cujuſdam injuſtæ rogationi reſiſteret: atque is per ſummam indignationem dixiſſet: Quid ergo mihi opus eſt amicitia tua, ſi quod rogo, non facis? reſpondit: Immo quid mihi tua, ſi propter te aliquid inhoneſtè facturus ſum? Valerius Max. lib. 6. cap. 4.

c *Qui Romæ Conſul*. P. Rutilius Rufus, Conſul fuit cum C. Manilio, anno DCXLVIII.

d *Et Aſiæ Proconſul fuit*. Liv. lib. 70. ut ex Epitomis colligitur, P. Rutilium ſummæ innocentiæ virum, non quidem Proconſulem, ſed Legatum Q. Mucii Proconſulis fuiſſe ſcribit.

e *Paulus Virginius*. Nonnulli legendum putant, A. Virginius, ex Cicerone in Lælio cap. 27.

f *Et Quintus Tubero ille Stoicus*. Marcus Cicero in libro, qui inſcriptus eſt *de Jure civili in artem redigendo*, verba hæc poſuit: Nec verò ſcientia Juris majoribus ſuis. Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam ſuperfuit. In quo loco Superfuit, ſignificare videtur ſuprà fuit, & præſtitit, ſuperavitque majores ſuos doctrina ſua ſuperfluenti, tum & nimis abundanti: diſciplinas enim Tubero Stoicas & dialecticas percalluerat. Ex Gellio lib. 1. cap. 22.

g *Panſæ auditor*. Textus Noricus habet: Panætii auditor.

h *Qui & ipſe Conſul*. In Faſtis Conſularibus Q. Tuberonem hoc tempore non comperio.

i *Gnaei Pompei patruus*. Ita habet tex. Nor. Hic, ut Cicero ait in Bruto, præſtantiſſimum ingenium contulit ad ſummam Juris Civilis, & ad perfectam Geometriæ, & rerum Stoicarum ſcientiam.

k *Et Cœlius Antipater*. Hic, ut ait idem Cicero in Bruto, temporibus illis luculentus ſcriptor fuit, Juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Craſſi, magiſter.

l *Lucius Craſſus*. Cor. ex Cicer. *de clar. orat.* & lib. 1. *de orat.* legendum putat: Licinius Craſſus.

m *Hunc Cicero &c.* Trajecta verba eſſe videntur & adſcribenda Q. Mucio Scævolæ ſequenti §. *Poſt verbum*, *redigendo*. *Cuiac.*

Ad §. Poſt hos.

Poſt hos Q. (a) *Mucius Publii* (b) *filius & Pontifex Maximus*, *Jus civile* (c) *primus conſtituit*, *generatim in libros decem & octo redigendo*.

a Q. *Mucius Scævola*. Qui Conſul fuit cum L. Cæcilio Metello, anno DCXXXVI.

b *Publii filius*. Filius Publii Mucii Scævolæ. De quo ſuprà ad §. *Poſt hos fuerunt*.

c *Jus Civile primus conſtituit generatim*, *&c.* Illud ordine quodam doctrinali digerendo, & per genera diſtribuendo.

Ad §. Mucii auditores.

Mucii (a) *auditores fuerunt complures*: *ſed præcipuæ auctoritatis Aquilius* (b) *Gallus*, *Balbus* (c) *Lucilius*, *Sextus* (d) *Papirius*, *Gaius* (e) *Juventius*. *Ex quibus Gallum maximæ auctoritatis apud populum fuiſſe Servius dicit*. *Omnes tamen hi à Servio* (f) *Sulpicio nominantur*: *alioquin per ſe eorum ſcripta non talia extant*, *ut ea* (g) *ad omnes adpetant*. *Denique nec verſantur omninò ſcripta eorum inter manus hominum*, *ſed Servius libros ſuos complevit*: *pro cujus ſcriptura*, *ipſorum quoque memoria habetur*.

a *Mu-*

a M*Ucii*. Quinti Mucii Scævolæ. De quo in præc. §.
b *Aquilius Gallus*. Cicero in lib. *de claris orat.* Aquilium acutum fuiſſe hominem & exercitatum, promptamque & paratam in agendo & reſpondendo celeritatem habuiſſe tradit. Prudentiæ & religionis ejuſdem Aquilii celebre exemplum commemorat Valer. Max. lib. 8. cap. 2. ubi etiam, virum magnæ auctoritatis, & ſcientia Juris Civilis excellentem, eum appellat.

c *Balbus Lucilius*. Hunc Cicero, ubi ſuprà, doctum & eruditum hominem vocat.

d *Sextus Papirius*. Qui inter Servii Sulpicii præceptores fuit. Rutil.

e *Gajus Juventius*. Cicero, prædicto loco, T. Juventium Juriſconſ. nominat: quem tamen alium ab hoc fuiſſe credi poteſt.

f *A Servio Sulpicio*. De hoc in §. prox. ſeq.

g *Ut ea ad omnes*. In Pand. Flor. ſic legitur. In vulgatis: Ut ea omnes.

Ad §. Servius.

Servius (a) *cùm in cauſis orandis primum locum, aut pro certo poſt M. Tullium obtineret, traditur ad conſulendum Q. Mucium de re amici ſui perveniſſe: cumque eum ſibi reſpondiſſe* (b) *de Jure Servius parum intellexiſſet, iterum Quintum interrogaſſe, & à Q. Mucio reſponſum eſſe, nec tamen percepiſſe: & ita objurgatum eſſe à Q. Mucio: Namque eum dixiſſe, turpe eſſe patricio, & nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare. ea velut contumelia Servius tractatus, operam dedit Juri Civili: & plurimùm eos, de quibus locuti ſumus, audiit: inſtitutus à Balbo* (d) *Lucilio, inſtructus autem maximè à Gallo Aquilio, qui fuit Cercinæ. Itaque libri complures ejus extant Cercinæ confecti. Hic cùm in* (c) *legatione periſſet, ſtatuam ei populus Romanus pro roſtris poſuit, & hodieque* (f) *extat pro roſtris Auguſti. hujus volumina complura extant: reliquit autem propè centum & octoginta libros.*

a *SErvius, &c.* Servius Sulpitius Jure Conſultus à Gellio lib. 2. cap. 10. & lib.6. cap. 12. dicitur Juris Civilis auctor, vir benè literatus, & ætatis ſuæ doctiſſimus. Conſul fuit cum M. Claudio Marcello, anno ab urbe condita DCCII. Fuit etiam Quæſtor, & Prætor. Cicero pro Murena. Et idem Cic. in Philippicam 9. multa de Sulpitii laudibus congeſſit.

b *Sibi reſpondiſſe.* Quidam reponunt, reſpondentem.

c *Tractatus.* In quibuſdam. Tractus.

d *Inſtitutus à Balbo Lucilio, &c.* Servius Sulpitius, cùm diſcendi cauſa duobus peritiſſimis operam maximè dediſſet, L. Lucilio Balbo: C. Aquilio Gallo, Galli hominis acuti & exercitati promptam & paratam in agendo & in reſpondendo celeritatem, ſubtilitate diligentiaque ſuperavit: Balbi docti & eruditi hominis in utraque re inconſideratam tarditatem vicit expediendis conficiendiſque rebus: Sic & habuit quod uterque eorum, & explevit quod utrique defuit. Cicero in Bruto.

e *Hic cum in legatione periſſet.* Servius Sulpitius à Senatu ad M. Antonium Triumvirum, qui Mutinæ D. Brutum obſidebat, miſſus Legatus: ut eum à perditis conſiliis ad ſanitatem pacemque revocaret, in ea legatione interiit. Ex Cic. in Philip. 9.

f *Et bodieque extat.* Text. Nor. habet, & Hoſtiæ extat.

Ad §. Ab hoc.

Ab hoc (a) *plurimi profecerunt* (b), *ferè tamen hi libros conſcripſerunt: Alfenus* (c) *Varus*, *Gajus* (d), *Aulus* (e) *Ofilius*, *Titus Cæſius*, *Aufidius Tucca*, *Aufidius Namuſa*, *Flavius Priſcus*, *Gajus Atejus Pacuvius*, *Labeo Antiſtius* (f) *Labeonis Antiſtii Pater, Cinna, Publicius Gellius. Ex his* (g) *decem, libros octo conſcripſerunt, quorum omnes qui fuerunt libri digeſti ſunt ab Aufidio Namuſa in centum quadraginta libros. Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus, & Aulus Ofilius. Ex quibus Varus*

&

(h) *& Conſul fuit. Ofilius in equeſtri ordine perſeveravit: is fuit Cæſari familiariſſimus: & libros de Jure Civili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit. Nam de legibus* (i) *Vicenſima primus* (k) *conſcribit, & de Juriſdictione: idem edictum Prætoris primus diligenter compoſuit. Nam ante eum Servius duos libros ad Brutum per quàm breviſſimos ad edictum ſubſcriptos reliquit.*

a A *B hoc*. Servio Sulpitio.

b *Profecerunt*. Nor. text. habet, proceſſerunt.

c *Alfenus Varus*. Alfenum Jureconſultum, Servii Sulpitii diſcipulum fuiſſe, rerumque antiquarum non incurioſum ſcribit Gellius lib. 6. cap. 5.

d *Gajus*. Delendum hoc nomen, alioquin undecim eſſent, non, ut infrà ait, decem. Cujac. hic.

e *Aulus Ofilius*. De quo hic in textu in verſ. *Ex his auditoribus*.

f *Labeo Antiſtius Labeonis Antiſtii pater*. Labeo doctrina & prudentia clarus, pater Labeonis qui propter Juris Civilis peritiam hodieque celebratur. Appianus lib. 4. *Belli civilis*.

g *Ex his decem, libros octo conſcripſerunt*. Ex his decem Jureconſultis, octo conſcripſerunt libros.

h *Varus & Conſul fuit*. Alfenus Varus, Conſul fuit cum P. Vinutio, anno ab urbe condita DCCLIII. ex Faſt. Conſ.

i *De legibus Viceſimæ, &c*. De legibus Viceſimæ primus Ofilius conſcripſit. De legibus ſcilicèt Viceſimæ partis hæreditatum fiſco inferrendæ. Quæ à Trajano fuit poſteà ſublata. Plinius in Panegyrico.

k *Conſcribit*. In aliis, conſcripſit.

Ad §. Fuit eodem tempore.

Fuit eodem tempore & Trebatius, qui (a) *idem Cornelii Maximi auditor: fuit Aulus Caſcelius, Quintus* (b) *Mucius Voloſii auditor: denique in illius honorem teſtamento Publium*

blium Mucium nepotem ejus reliquit hæredem. fuit autem quæſtorius: nec ultra proficere voluit, cum illi etiam Auguſtus conſulatum offerret. Ex his (c) *Trebatius peritior Caſcelio, Caſcelius Trebatio eloquentior fuiſſe dicitur, Ofilius* (d) *utroque doctior. Caſcelii ſcripta non extant, niſi unus liber* (e) *Benedictorum. Trebatii complures: ſed minus frequentantur.*

a QVi idem Cornelii Maximi auditor. Hæc verba ſic reſtituenda ſunt: Quinti Cornelii Maximi auditor. Goveanus *Variarum lectionum Juris* lib. 1. c. 24.

b *Quintus Mucius Voloſii auditor.* Rectè Antonius Auguſtinus, & Cujacius: Quinti Mucii Voloſii auditor. Igitur Aulus Caſcelius Quinti Mucii Voloſii auditor fuit, & in illius honorem teſtamento Publium Mucium nepotem ejus reliquit hæredem.

c *Ex his Trebatius.* Hic Trebatius, cujus auctoritas maxima erat, ſuaſit Auguſto, ut Codicillorum uſus reciperetur. *princ. Tit. Inſtit. de Codicillis.*

d *Ofilius utroque doctior.* De hoc ſuprà in præced. §.

e *Niſi unus liber Benedictorum.* Benedicta, facetas & acutas reſponſiones, interpretamur. ex H.

Ad §. Poſt hos quoque.

Poſt hos quoque Tubero fuit, qui Ofilio (a) *operam dedit: fuit autem patricius, & tranſit à cauſis agendis ad jus civile, maximè poſtquam Quintum Ligarium accuſavit, nec obtinuit apud Gaium Cæſarem. Is eſt Quintus Ligarius, qui cùm Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire. quo nomine eum accuſavit, & Cicero defendit. Extat eius oratio ſatis pulcherrima, quæ inſcribitur, pro Q. Ligario. Tubero doctiſſimus quidem habitus eſt Juris publici & privati: & complures utriuſque operis libros reliquit. Sermone etiam antiquo uſus affectavit ſcribere, & ideo parum libri eius grati habentur.*

a *Qui*

a Qui Oſilio. De quo ſuprà in §. *Ab hoc*.
b *Nec obtinuit apud Gaium Cæſarem*. In cauſa Quinti Ligarii, quæ apud Cæſarem Dictatorem acta eſt, fertur Cæſar ita animatus fuiſſe, ut Ligarium omnino pro condemnato haberet: Verùm, orante Cicerone pro Ligario, propoſitum damnandi tenere non potuit: ſed vi coactus contra propoſitum animi reum abſolvit. Ex Plutarcho in Tullio.

c *Satis pulcherrima*. Text. Nor. non habet hoc verbum, ſatis. Bud. legit: ſanè pulcherrima.

d *Sermone etiam*. Melius in text. Nor. Sermone tamen.

Ad §. Poſt hunc.

Poſt hunc maximæ auctoritatis fuerunt Ateius (a) *Capito, qui Oſilium ſecutus eſt, & Antiſtius*, (b) *Labeo, qui omnes hos audivit: inſtitutus eſt autem à Trebatio. Ex his Ateius* (c) *Conſul fuit: Labeo noluit, cùm offerretur ei ab Auguſto Conſulatus, quo ſuffectus* (d) *fieret, &* (e) *honorem ſuſcipere. Sed plurimum ſtudiis operam dedit: & totum annum ita diviſerat, ut Romæ ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet, ſex menſibus ſecederet, & conſcribendis libris operam daret. Itaque reliquit quadraginta volumina: ex quibus plurima inter manus verſantur. Hi duo primùm veluti diverſas ſectas fecerunt. Nam Ateius Capito in his, quæ ei tradita fuerant, perſeverabat: Labeo ingenii qualitate & fiducia doctrinæ, qui & cæteris* (f) *operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit. Et ita Ateio Capitoni Maſſurius Sabinus ſucceſſit, Labeoni Nerva: qui adhuc eas diſſenſiones auxerunt. Hic etiam Nerva Cæſari* (g) *familiariſſimus fuit.*

a Ateius Capito. Capito principem in civitate locum ſtudiis civilibus adſecutus eſt. Cornel. Tacit. lib. 3. in fine.

b *Et*

b *Et Antiſtius Labeo*. Tacitus, ubi ſuprà, ſcribit, quòd Conſulatum Capitoni adceleraverat Auguſtus, ut Labeonem Antiſtium Juris Civilis ſcientia præcellentem dignatione ejus magiſtratus anteiret. Sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior fuit.

c *Ex his Ateius Conſul fuit*. Faſti Conſulares Conſulem ſcriptum habent anno DCCLXIII. Fontejum Capitonem cum Germanico Cæſare. Sed ibi error eſt, & pro Ateio, Fontejus ſcribitur.

d *Quo ſuffectus fieret*. Is, qui in locum demortui Conſulis ſubmittebatur, ſuffectus dicebatur. Nam ſufficere, ſubmittere eſt.

e *Et honorem ſuſcipere*. Hæc ita ſunt reſtituenda: eum honorem ſuſcipere. Govean. *Variar. Lection.* lib. 1. cap. 24.

f *Qui & cæteris operis ſapientiæ*. Ideſt, cæteris partibus totius operis ſapientiæ. Cujac.

g *Cæſari familiariſſimus fuit*. Tacitus lib. 5. idem confirmat.

Ad §. Maſſurius Sabinus.

Maſſurius (a) *Sabinus in equeſtri* (b) *ordine fuit & publicè primus* (c) *ſcripſit. Poſteaque* (d) *hoc cœpit beneficium dari à Tiberio Cæſare. Hoc tamen illi conceſſum erat. Et, ut obiter ſciamus, ante tempora Auguſti publicè reſpondendi jus non à Principibus dabatur: ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant: neque reſponſa utique ſignata dabant: ſed plerumque judicibus ipſi ſcribebant, aut* (e) *teſtabantur, qui illos conſulebant. Primus Divus Auguſtus, ut major Juris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate eius reſponderent, & ex illo tempore peti hoc pro* (f) *beneficio cœpit. Et ideo optimus princeps Hadrianus, cùm ab eo viri prætorii peterent ut ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis, hoc non peti, ſed præſtari* (g) *ſolere. Et ideo, ſi* (h) *quis fiduciam ſui haberet, delectari ſe: populo ad reſpondendum ſe præpararet. Ergo Sabino conceſſum*

ceſſum eſt à Tiberio Caſare, ut populo reſponderet, qui in equeſtri ordine jàm grandis natu & ferè annorum quinquaginta receptus eſt: huic nec amplæ facultates fuerunt, ſed plurimùm à ſuis auditoribus (i) *ſuſtentatus eſt.*

a MAſſurius Sabinus, &c. Maſſurius Sabinus Ateio Capitoni ſucceſſit. ut in fine præced. §. In equeſtri ordine fuit, & publicè primus, ex conceſſione Tiberii Cæſaris, de Jure reſpondendo ſcripſit. ut in hoc §. Inter illuſtres Jureconſultos eum fuiſſe colligitur ex his verſ. Perſii Satyra 5.

Vindicta poſtquam meas à prætore receſſi,
Cur mihi non liceat iuſſit quodcunque voluntas,
Excepto ſi quid Maſſurii rubrica vetavit?

b *In equeſtri ordine fuit*. Apud Romanos tres præcipui ordines fuerunt, Senatorius, Equeſter, & Plebejus. Equeſter igitur ordo medius erat.

c *Scripſit*. Aliàs, reſpondit.

d *Poſteaque*. Vulgata lectio habet: Poſteaquam.

e *Aut teſtabantur*, &c. Teſtimonium Juris reddebant iis, qui illos conſulebant.

f *Pro beneficio*. Pro præmio laborum.

g *Sed præſtari ſolere*. Meritis ſcilicèt, non cuivis petentì. Got.

h *Et ideo, ſi quis fiduciam ſui*, &c. Aliàs legitur: & ideō delectari ſe: ſi quis fiduciam ſui haberet: populo ad reſpondendum ſe præpararet.

i *A ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt*. Peculiare adeò eſt, ut divitiæ bonis & probis abſint ingeniis, ut Cicero in fine 1. libri *Offic.* rem difficilem putet, affluentibus copiis ditari ſapientem. Ejus rei ratio eſſe poteſt, quia probi nollunt niſi honeſtè ſibi divitias parare: improbi per fas & nefas opes congerunt.

Ad §. Huic ſucceſſit.

Huic ſucceſſit Gaius (a) *Caſſius Longinus natus ex filia Tuberonis,*

ronis, quæ fuit neptis Servii Sulpitii: & ideo proavum ſuum Servium Sulpitium appellat. hic Conſul fuit (b) *cum Quartino temporibus Tiberii, ſed plurimum in civitate auctoritatis habuit, eouſque donec eum Cæſar civitate pelleret expulſus ab eo in Sardiniam, revocatus à Veſpaſiano, diem ſuum obiit.*

a GAius Caſſius. Sub Claudio Cæſare Caſſius Syriæ præerat, & cæteros præeminebat peritia legum. Tacitus *Annal.* lib. 12.

b *Hic Conſul fuit cum Quartino*. Quod Caſſius Conſul fuerit cum Quartino, non ſatis conſtat. Cujacius hic ait, quòd Quartinus & G. Caſſius ſuffecti fuiſſe videntur.

c *Sed plurimum*. In aliis, & plurimum.

d *Donec eum Cæſar*. Nero ſcilicèt, ut Tacitus ſcribit *Annal.* lib.16. poſt princ.

Ad §. Nervæ.

Nervæ ſucceſſit (a) *Proculus. Fuit eodem tempore & Nerva* (b) *filius. Fuit & alius* (c) *Longinus ex equeſtri quidem ordine: qui poſteà ad præturam uſque pervenit. Sed Proculi auctoritas maior fuit. Nam etiam plurimum potuit, appellatique ſunt partim Caſſiani, partim Proculeiani: quæ* (d) *origo à Capitone & Labeone cœperat. Caſſio Cælius* (e) *Sabinus ſucceſſit, qui plurimum temporibus Veſpaſiani potuit. Proculo Pegaſus* (f), *qui temporibus Veſpaſiani Præfectus urbi fuit. Cælio Sabino Priſcus* (g) *Javolenus*, *Pegaſo Celſus* (h). *Patri Celſo Celſus filius, & Priſcus* (i) *Neratius: qui utrique Conſules fuerunt. Celſus quidem & iterum. Javoleno Priſco Aburnus* (k) *Valens, & Tuſcianus, item Salvius* (l) *Julianus.*

a NErvæ ſucceſſit *Proculus.* Ulpianus in *l. Divi fratres* 17. *ff. De Jur. patron.* Non levem Juris auctorem Proculum appellat.

b *Et*

b *Et Nervæ filius*. Ætate decem & ſeptem annorum, aut paulò majore fertur Nerva filius & publicè de Jure reſponſitaſſe. *l.* 1. *§. Initium ff. de Poſtulando*.

c *Fuit & alius Longinus*. Alius ab eo, de quo in præced. *§*.

d *Quæ origo*. Factionum, Sectarum.

e *Cælius Sabinus*. Cælio ac Flavio Sabinis bimeſtrem Conſulatum ab Othone deſtinatum ſcribit Tacitus ab exceſſu Neronis hiſtor. lib. 1.

f *Pegaſus*. Creditur is eſſe Pegaſus, quo Conſulatum cum Puſione gerente, Senatuſconſultum Pegaſianum factum eſt. *§. Sed quia hæredes, Inſtit. de fideicomm. hæred.*

g *Priſcus Javolenus*. Javolenum præceptorem ſuum fuiſſe ſcribit Julianus in l. *An Apud ſe* 5. *ff. de manumiſs. vindic.*

h *Pegaſo Celſus*. Patri Celſo Celſus filius. Celſi duo, pater & filius, à Pomponio hic memorantur. Conſtat ex Spartiano in Adriano, quod Celſus fuit inter Jureconſultos, quos Adrianus, cùm judicaret, in conſilio præcipuè habuit. Sed an is fuerit Celſus pater, an Celſus filius, mihi incertum eſt.

i *Et Priſcus Neratius*. Etiam Priſcum Neratium Adrianus, cùm indicaret, in conſilio ſuo habuit. Ex eodem Spart.

k *Aburnus Valens*. De quo l. *Quæſitum eſt* 78. *§. penult. ff. de legatis* 3.

l *Item Salvius Julianus*. Salvius Julianus Javolenum præceptorem habuit, & fuit Prætor & Conſul. *l. An apud ſe* 5. *ff. de manumiſs. vindic. A Juſtiniano in l.* 2. *Cod. de vet. Jure enuc.* Julianus legum & Edicti perpetui ſubtiliſſimus conditor appellatur. Idem Juſtinianus in *l. penult. Cod. de condic. indeb.* Salvium Julianum ſummæ auctoritatis hominem, & prætorii edicti perpetui ordinatorem fuiſſe ſcribit. *Et in l. Inter antiquam* 15. *Cod. de Uſufruct.* Summum auctorem Juris ſcientiæ nominat Salvium Julianum.

DIGESTORUM
LIBER PRIMUS.

De legibus Senatùſque Conſultis, & longa Conſuetudine.

TITULUS TERTIUS.

Lex Prima. Papinianus lib. 1. Definitionum.

Lex eſt (a) *commune præceptum, virorum prudentium* (b) *conſultum: delictorum, quæ ſponte*, (c) *vel ignorantia contrahuntur, coercitio: communis* (d) *reipublicæ ſponſio.*

a LEX *eſt commune præceptum*. Legis enim proprium eſt, ut omnes adficiat, non ut quoſdam tantùm. *l. Jura* 8. *ff. h. t.* Et not. quod hæc definitio Papiniani, & aliæ duæ Martiani ex Demoſthene, & Chriſyppo in *l. prox. ſeq.* ſunt latè accipiendæ ut omnes Juris ſpecies complectantur.

b *Virorum prudentium conſultum*. Apud Romanos non fiebat lex à Populo ſine conſulto prudentium: Nec interrogabatur Populus, niſi à Senatorio Magiſtratu; ac proinde de ea re, de qua Senatus jàm conſultus fuerat, populumque rogandum decreverat.

c *Delictorum, quæ ſponte, vel ignorantia contrahuntur, coercitio*. Hæc definitio legis oſtendit etiam quædam involuntaria delicta coerceri. *Facit l. 2. in fine ff. de Term. moto.* Ubi jubetur eos, qui per ignorantiam, aut caſum lapides finales abſtulerint, verberibus cædi. Item *l. Qui ædes 9. ff. de Incend. ruina, naufrag.* Ubi is, qui ædes, acervumvè frumenti juxta domum poſitum, caſu, ideſt, negligentia combuſerit: aut noxiam ſarcire jubetur, aut ſi minus idoneus ſit, extra ordinem caſtigatur.

d *Com-*

d *Communis Reipublicæ ſponſio*. Lex eſt communis ſponſio civitatis & reipublicæ, ad cujus præſcriptum omnes, qui in ea republica ſunt, vitam inſtituere debent, *l.1. & 2. h. t.* Et quamvis definitio legis, quam plenam habemus in *dict. l. 1. & 2.* non tantùm legibus Romanis, verùm etiam aliarum quoque civitatum congruat: Eam tamen ſpecialiter noſtris legibus accommodando, dicimus, quod lex dicitur: Communis Reipublicæ ſponſio: Nam quemadmodum in contrahenda ſtipulatione interrogatio præcedit reſponſionem, quæ ipſa nihil aliud eſt quàm ſponſio: Ita & in ferenda lege præcedebat interrogatio Senatorii Magiſtratus, ad quam totius populi reſponſio, ſponſioque ſequebatur.

Lex II. Marcianus lib. 1. Inſtitutionum.

Nam & Demoſthenes orator ſic definit: Lex eſt, (a) *cui omnes obtemperare convenit, tum ob alia multa: tum vel maximè eò quòd omnis* (b) *lex, inventum ac munus Dei eſt: decretum verò* (c) *prudentum hominum: coercitio eorum, quæ ſponte, vel involuntariè delinquuntur: communis ſponſio Civitatis: ad cujus præſcriptum omnes, qui in ea Republica ſunt, vitam inſtituere debent. Sed & Philoſophus ſummæ Stoicæ ſapientiæ Chriſyppus ſic incipit libro, quem fecit de lege: Lex eſt omnium divinarum, & humanarum* (d) *rerum Regina. Oportet autem eam eſſe præſidem & bonis, &* (e) *malis, & Principem, & Ducem eſſe: & ſecundum hoc, regulam eſſe iuſtorum, & injuſtorum: & eorum, quæ natura civilia ſunt, animantium præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum.*

a *Lex eſt &c.* Lex eſt, cui omnes obtemperare convenit. Et paulò poſt: ad cujus præſcriptum omnes, qui in ea Republica ſunt, vitam inſtituere debent. Hæc verba idem important ac ea, quæ ſunt in definitione Papiniani in *l. 1. h. t.* Lex eſt commune præceptum. Sed quid di-

dicendum ſi lex injuſta ſit? Dicendum injuſtam legem, legem non eſſe, & vel tollendam eſſe errore cognito, vel certè corrigendam.

b *Omnis lex inventum, ac munus Dei eſt*. Demoſthenes inventum & donum quoddam Dei legem eſſe dixit: non quòd quælibet lex tam ſancta ſit, & juſta, ut digna ſit, quæ ad Deum referatur, ſed quòd ipſum hoc, ut legibus vivamus; tantam attulit utilitatem rebus humanis, ut ab aliquo Deo datum inventumque eſſe videatur.

c *Decretum verò prudentum hominum: coercitio eorum, quæ ſpontè, vel involuntariè delinquuntur: communis ſponſio civitatis*: Hæc etiam ſunt in definitione Papiniani in *d. l.* 1. *h. t.*

d *Et humanarum rerum regina*. Facit illud Pauſaniæ dictum: Leges oportet hominum dominari, non homines legum.

e *Et malis*. Non injuria lex malis præſidet, quandoquidem propter malos mores factæ ſunt leges. Et niſi mali mores eſſent, legibus non egeremus.

Lex III. Pomponius lib. 25. ad Sabinum.

Jura (a) *conſtitui oportet, ut dixit Theophraſtus, in his quæ ut plurimum accidunt, non quæ ex* (b) *inopinato*.

a *Jura, &c.* Jura conſtitui oportet in his, quæ plerumque accidunt, non in his, quæ accidunt præter hominum opinionem. *tex. hic. l.* 4. 5. 6. & 10. *h. t. Novella* 94. *cap.* 2.

b *Ex inopinato*. Præter hominum opinionem. Huc pertinet Solonis illud dictum, cujus meminit Cicero in Oratione pro Roſcio Amerino: Solon, inquit, cùm interrogatus eſſet cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui parentem necaſſet, reſpondit, id ſe neminem facturum putaſſe. Ex Bud. in Pandect. Vide ult. not. ad leges prox. ſeq.

Lex IV. Celſus lib. 5. Digeſtorum.

Ex his, quæ forte (a) *uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur.*

Lex V. Idem lib. 17. Digeſtorum.

Nam ad ea potiùs debet aptari jus, quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ (b) *perrarò eveniunt.*

Lex VI. Paulus lib. 17. ad Plautium.

Quod enim (c) *ſemel aut bis exiſtit, ut ait Theophraſtus, prætereunt* (d) *legislatores.*

a QUæ fortè uno aliquo caſu. Quod verò fieri non rarò admodum poteſt, intuentur Juris authores, *l. 3. circa fin. ff. Si pars hæred. pet.*

b *Quàm quæ perrarò eveniunt.* Super his tamen, quæ rarò eveniunt, Jura quandoque conſtituuntur, *l. Adeò quidem 7. §. Inſula ff. de adquir. rer. dom. §. Inſula, Inſtit. de rer. diviſ. l. Si major 12. Cod. de legit. hæred.*

c *Quod enim ſemel, &c. l. 3. in fin. ff. Si pars hæred. pet.*

d *Prætereunt legislatores.* Sed quod legibus omiſſum eſt, non omittetur religione Magiſtratuum, & Judicantium, *l. Quæſitum 13. ff. de Teſtibus. l. 2. ff. de offic. adſeſs.*

Lex VII. Modeſtinus lib. 1. Regularum.

Legis virtus hæc eſt: Imperare (a), *Vetare* (b), *Permittere* (c), *Punire* (d).

a IMperare. Hinc eſt, quòd leges imperativis verbis concipiuntur.

b *Vetare.* Hoc proprium eſt legum, quæ prohibitoriæ dicuntur.

c *Per-*

c *Permittere.* Proprium hoc eſt legum, quæ permiſſivæ appellantur, quarum uſus eſt circa eas res quæ alioqui fieri non poſſent, niſi permitterentur. Cujuſmodi ſunt leges de hæreditatibus, ſive teſtamentariis, ſive legitimis. Ex Fab. hic in Rationali.

d *Punire.* Imperfecta enim lex eſt ſi quid fieri prohibeat, nec tamen puniat, quod contra factum erit. Ex eod. Fabro.

Lex VIII. Ulpianus lib. 3. ad Sabinum.

Jura (a) *non in ſingulas perſonas, ſed generaliter* (b) *conſtituuntur.*

a JUra non in ſingulas perſonas, &c.* Leges non de una tantùm perſona, ſed generaliter conſtituuntur. h.d. Conſtitutiones igitur perſonales, non ſunt propriè leges, ſed privilegia. Vide Gellium lib. 10. cap. 20. & Cujac. *Obſervat.* lib. 15. cap. 8.

b *Sed generaliter conſtituuntur.* Omnibus ſcilicèt, *l. Si Imperialis majeſtas* 11. *in princ. Cod. de legibus.*

Lex IX. Idem lib. 16. ad Edictum.

Non ambigitur (a) *Senatum jus facere poſſe.*

a NOn ambigitur Senatum, &c.* Lex fuit jam indè ab Urbe condita, quæ omnium rerum poteſtatem Senatui permittebat, præter Magiſtratuum creationém, legum juſſa, & belli inferendi deponendíve arbitrium. Horum enim poteſtas erat penes populi ſuffragia. Dionyſius Halicar. lib. 6. ultra medium. Pompon. Let. *De Mag. Rom.* cap. 4. Sed poſteà, cum auctus eſſet Populus Romanus in eum modum, ut difficilè eſſet in unum eum convocari legis ſanciendæ cauſa, æquum viſum fuit, Senatum vice Populi conſuli. *l. 2. §. Deinde quia difficilè ff. de orig. Jur. §. Senatus Conſultum, Inſt. de Jure nat. gen. & civ.* Ac tandem, conſtituto

tuto Principe, Lege Regia populus ei, & in eum omne Imperium ſuum & poteſtatem conceſſit. *d. l. 2. § Noviſſimè ff. de orig. Jur. l. 1. ff. de conſtit. Princ. §. Sed & quod Principi, Inſtit. de Jure nat. gen. & civ.* Unde hodie leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt. *l. ult. Cod. de legibus*.

Lex X. Julianus lib. 59. ad Edictum.

Neque (a) *leges, neque Senatuſconſulta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur: ſed ſufficit* (b) *ea, quæ plerumque accidunt, contineri.*

Lex XI. Idem lib. 90. Digeſtorum.

Et ideò de his, quæ primò conſtituuntur, aut interpretatione (c) *aut conſtitutione optimi Principis certiùs ſtatuendum eſt.*

a NEque leges, &c. Si Caſus inciderit, qui neque legibus, neque Senatuſconſultis comprehenſus videatur: de iis, quæ conſtituta ſunt, aut interpretatione, aut nova Conſtitutione optimi Principis certiùs ſtatuendum eſt.

d *Sed ſufficit ea, quæ plerumque accidunt contineri*. Faciunt not. ſuprà ad. *l. 3. 4. 5. & 6. h. t.*

c *Aut interpretatione*. Quamvis Julianus ad interpretationem prudentum fortè reſpexerit: Nos tamen ex Juſtiniani voluntate ad Principis interpretationem hoc referimus: cui ſoli datum eſt leges interpretari, quarum certa non eſt ſententia. *l. 1. & ult. Cod. de legibus*. Si verò quod accidit, legis ratione contineatur, id Prudentes interpretantur. Baro hic.

Lex XII. Idem lib. 15. Digeſtorum.

Non poſſunt omnes articuli ſingillatim aut legibus, aut Senatus Conſultis comprehendi: ſed cùm in aliqua cauſa ſententia eorum

rum manifeſta eſt, is, qui iuriſdictioni preeſt, ad ſimilia (a) *procedere, atque ita Jus dicere debet.*

Lex XIII. Ulpianus lib. 1. ad Edictum Ædilium curulium.

Nam, ut ait Pedius, quotiens lege aliquid, unum vel alterum introductum eſt: bona occaſio eſt, cætera, quæ tendunt (b) *ad eandem utilitatem, vel interpretatione* (c), *vel certè juriſdictione ſuppleri.*

a AD *ſimilia procedere*. Ant. Fab. exiſtimat legendum, ad ſimilia producere. Facit ad hanc legem, *lex Si quis 7. ff. de Juriſdictione*, ubi dicitur, quod ſi quis id, quod Juriſdictionis perpetuæ cauſa, non quod, prout res incidit, in albo, vel in charta, vel in alia materia propoſitum erit, dolo malo corruperit: datur in eum quingentorum aureorum iudicium, quod populare eſt. Quòd ſi dum proponitur, vel ante propoſitionem quis corruperit: edicti quidem verba ceſſabunt, Pomponius autem ait ſententiam edicti porrigendam eſſe ad hæc. Item *l. ex facto 30. ff. de negot. geſt.* Ubi dicitur, quod Valerius Severus reſpondit, adverſus contutorem negotiorum geſtorum actionem tutori dandam. Secundùm quæ etiam in ſubcuratore idem dicendum eſt. Facit etiam *l. 4. ff. de fundo dotali*, ubi dicitur, quod lex Julia, quæ de dotali prædio proſpexit, ne id marito liceat obligare, aut alienare, pleniùs interpretanda eſt: ut & de ſponſo idem juris ſit, quod de marito.

b *Quæ tendunt ad eandem utilitatem*. Ideſt, quæ eandem habent æquitatis rationem. Hinc vulgatum illud, ubi eadem ratio aut æquitas eſt, ibi Jus idem ſtatuendum eſſe, *l. Illud quæſitum 32. in princ. ff. ad leg. Aquil. l. 3. §. Unde etiam ff. de Iniuſto rupto, &c.*

c *Vel interpretatione, vel certè iuriſdictione ſuppleri*. Intellige, Interpretatione prudentum, Juriſdictione verò ejus, qui præeſt Juriſdictioni. Quod autem ait Ulpianus hoc

loco:

loco: Vel certè &c. corrigentis eſt, hoc ſenſu: ſi non interpretatione ſuppleantur, ſaltem Juriſdictione ſuppleri debent.

Lex XIV. Paulus lib. 54. ad Edictum.

Quod (a) *verò contra rationem* (b) *Juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentias.*

Lex XV. Julianus lib. 27. Digeſtorum.

In his, quæ contra (c) *rationem Juris conſtituta ſunt, non poſſumus ſequi regulam Juris.*

Lex XVI. Paulus lib. Singulari de Jure ſingulari.

Jus ſingulare eſt, quod contra (d) *tenorem rationis propter aliquam* (e) *utilitatem, auctoritate* (f) *conſtituentium introductum eſt.*

a *Quod verò, &c. l. Quod contra* 141. *ff. de reg. Jur.* Contra rationem Juris receptum dicimus, quod Jure ſingulari benignè receptum eſt neceſſitatis, vel utilitatis cauſa. l. *Jus ſingulare* 16. *ff. h. t.* Hoc non eſt producendum ad conſequentia. Ideſt, ad ſimilia exempla. Si ergo emptam rem mihi, procurator, ignorante me, meo nomine adprehenderit: quamvis poſſideam, eam non uſucapiam: quia, ut ignorantes uſucapiamus, in peculiaribus tantùm rebus receptum eſt. *l.* 2. *ff. Pro ſoluto.*

b *Contra rationem Juris conſtituta ſunt.* Quando evenit, ut evidens æquitas pugnet cum ſummo Jure, neceſsè eſt induci Jus ſingulare, contra tenorem rationis, ob utilitatem publicam, atque ità violari regulam Juris. Ex Fab.

d *Contra tenorem rationis.* Generalis.

e *Propter aliquam utiltiatem.* Vel propter neceſſitatem. *l. Quæ propter* 162. *ff. de reg. Jur.*

f *Auctoritate conſtituentium introductum eſt*. Ut igitur Jus ſingulare poſſit induci, non illud ſufficit, ut evidens æquitas & utilitas ſit, quæ induci ſuadeat: ſed præterea auctoritas neceſſaria eſt in eo, qui velit inducere, ut habeat Jus inducendi. Ex eod. Fab.

Lex XVII. Celſus lib. 26. Digeſtorum.

Scire (a) *leges non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem.*

a *Scire leges, &c. Facit l. Contra* 29. *ff. h. t.* Ubi dicitur, quod in fraudem legis facit, qui ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circumvenit. Item *l. Labeo ait* 7. *in fin. ff. de ſupellect. leg.* Ubi dicitur, quod Prior, atque potior eſt, quàm vox, mens dicentis.

Lex XVIII. Idem lib. 29. Digeſtorum.

Benignius (a) *leges interpretandæ ſunt, quò voluntas earum conſervetur.*

a *Benignius leges, &c.* Leges ex bono & æquo, & recta ratione magis, quàm ſtricta verborum ſignificatione, interpretandæ ſunt, ut voluntas earum conſervetur. Et quamvis ſoli Principi datum ſit leges interpretari, quarum certa non eſt ſententia, *l.* 1. *& ult. Cod. de legibus*. Tamen, ſi quod accidit, legis ratione contineatur, id prudentes interpretantur. Ut aliàs ſuprà diximus.

Lex XIX. Idem lib. 33. Digeſtorum.

In ambigua voce legis ea potiùs accipienda eſt ſignificatio, quæ (a) *vitio caret: præſertim cùm etiam* (b) *voluntas legis ex hoc colligi poſſit.*

a *Quæ*

a QUæ vitio caret. Ideſt per quam fiat, ne quid malè, & abſurdè conſtitutum videatur.

b *Præſertim cum etiam voluntas legis ex hoc colligi poſſit*. Nam ſi ea fieret Interpretatio, quæ voluntatem legis everteret, non eſſet admittenda. Ex Fab. *in Ration.* hoc eodem loco.

Lex XX. Julianus lib. 55. Digeſtorum.

Non (a) *omnium, quæ à majoribus* (b) *conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt.*

Lex XXI. Neratius lib. 6. Membranarum.

Et ideò rationes eorum, quæ conſtituuntur, inquiri non oportet: alioquin multa ex his, quæ certa ſunt, ſubvertuntur.

a NOn omnium, &c. Cujac. *Obſervat.* lib. 8. cap. 12. ponit exemplum ex *l. liberorum* 9., *ff. de Religioſis*, quę negat hæredi ejus, qui prohibitus eſt mortuum inferre, actionem in factum competere, quam tamen certum eſt nequæ pœnæ, neque vindictæ perſecutionem habere. Animadvertendum eſt tamen, quòd in noſtra lege non negat Juriſconſultus ſuam cuique legi rationem ineſſe, ſed tantùm intendit, à privatis non ſemper reddi poſſe. Et ideò ubi Jus certum eſt, obſervari debet, licèt ratio parùm cognita ſit. Quod ſi quid duriùs poſitum videatur, legum lator adeundus eſt, ut ejus auctoritate emendetur.

b *Quæ à majoribus conſtituta ſunt. Et l. ſeq. eorum, quæ conſtituuntur*. Cùm hæc verba de Jure conſtituto expreſſim loquantur, Ant. Fab. hoc loco ait, quòd de recepto Jure intelligi non debent, & conſequenter, quod ſupra dictum exemplum à Cujacio poſitum ex *l. 9. de Religioſis*, non eſt noſtris legibus accommodatum: Nec enim agitur in *d. l. 9. de Jure conſtituto*, ſed quod vulgò habeatur pro recepto. Sed Fe lt. hoc eod. loco, in verbo, *conſtituta ſunt*, addit, vel moribus introducta.

Lex XXII. Ulpianus lib. 35. ad Edictum.

Cum lex in (a) *præteritum quid indulget, in futurum* (b) *vetat.*

a CUM lex in præteritum, &c. e. g.* Si lex indulgeret in præteritum præſcriptiones adverſus fiſcum, in futurum prohibere intelligeretur. Baro:

b *In futurum vetat.* Diſpoſitum igitur in ſenſu directo, oppoſitum arguit à contrario. *l. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſdict.*

Lex XXIII. Paulus lib. 4. ad Plautium.

Minimè (a) *ſunt mutanda, quæ interpretationem certam* (b) *ſemper habuerunt.*

a *MInimè ſunt mutanda, &c.* Niſi evidens utilitas ſit, quæ ſuadeat ut mutentur ea, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt. *l. 2. ff. de conſt. princ.*

b *Quæ interpretationem certam ſemper habuerunt.* Optima enim eſt legum Interpres conſuetudo, ſive verba, ſive voluntatem interpretemur, *l. Si de interpretatione 37. ff. h. t.*

Lex XXIV. Celſus lib. 9. Digeſtorum.

Incivile eſt, (a) *niſi tota lege perſpecta, una aliqua particula ejus propoſita, judicare, vel reſpondere.*

a *IN civile eſt, niſi tota lege perſpecta, &c.* Ratio deciſionis eſt quia fieri poteſt, ut in qua alia parte legis aliquid ſit, quod ad aliam explicandam maximè pertineat, & ex qua voluntatem legislatoris conjici oporteat. Quod an ita ſit nec ne, non niſi perſpecta tota lege ſciri poteſt. Fab. hic.

Lex

Lex XXV. Modeſtinus lib. 8. Reſponſorum.

Nulla (a) *juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem.*

a NUlla iuris ratio, &c. *Facit l.* 3. §. *Duæ autem, in fine ff. de carbon. edict.* Ubi dicitur, quod non debet adverſus pupillos obſervari, quod pro ipſis excogitatum eſt. Facit etiam *l. Quod favore 6. Cod. de legibus. l. Plures* 18. *in fine Cod. de fide inſtrument. l. Generaliter* 5. §. *In his autem C. de ſecund. nup. l. penult. in princ. C. Ad Senat. Conſ. Trebell.* Pro reſponſione ad ea, quæ à DD. objiciuntur contra Regulam noſtræ legis potes videre Pac. *Legum Conciliat.* Centur. 1. q. 12.

Lex XXVI. Paulus lib. 4. Quæſtionum.

Non eſt novum (a), *ut priores leges ad poſteriores* (b) *trahantur.*

Lex XXVII. Tertullianus lib. 1. Quæſtionum.

Ideò, quia antiquiores leges ad poſteriores trahi, uſitatum eſt: & ſemper quaſi hoc legibus ineſſe credi oportet, ut ad eas quoque perſonas, & ad eas res pertinerent, quæ quandoque ſimiles erunt.

Lex XXVIII. Paulus lib. 5. ad legem Juliam & Papiam.

Sed & poſteriores leges ad (c) *priores pertinent: niſi* (d) *contrariæ ſint: idque multis argumentis probatur.*

a NOn eſt novum, ut priores leges, &c. Ut tamen priores leges ad poſteriores trahantur, fieri debet ea protra-

tractio vel poſterioris legis auctoritate, vel auctoritate Magiſtratus, qui præeſt Juriſdictioni, vel denique Principis Conſtitutione. Ex Fab.

b *Ad poſteriores trahantur*. Ratio aſſignatur in l. prox. ſequ.

c *Ad priores pertinent*. Vel ſupplendas, vel interpretandas, vel producendas.

d *Niſi contrariæ ſint*. Tunc enim poſteriores, potiores ſunt his, quæ ipſas præceſſerunt, *l. ult. ff. de Conſtit. Princip.*

Lex XXIX. Idem lib. ſingulari ad legem Ciciam.

Contra (a) *legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem verò, qui ſalvis verbis, ſententiam ejus circumvenit.*

Lex XXX. Ulpianus lib. 4. ad Edictum.

Fraus enim legi fit, ubi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non vetuit: & quod diſtat dictum à ſententia, hoc diſtat fraus ab eo, quod contra legem fit.

a *Contra legem, &c.* Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet. Ideſt, qui contra ſcriptum & ſententiam facit. In fraudem verò, qui ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circumvenit. Nec enim poteſt carere dolo, qui captat occaſionem delinquendi contra legem ſalvis verbis legis: & conſequenter pœnas inſertas legibus non evitabit, qui ſe contra Juris ſententiam ſæva prærogativa verborum fraudulenter excuſat. *l. Non dubium* 5. *Cod. de legibus.* e. gr. Senatuſconſultum Macedonianum vetat pecuniam mutuam dare filiofamilias. *l.* 1. *ff. ad Senat. Conſult. Maced.* Verba Senatuſconſulti ad numeratam pecuniam referuntur, & ideò qui frumentum, vel vinum, vel oleum mutuo dat filio familias, contra Senatuſconſultum quidem non facit: ſed, frumento, vel vino, vel oleo mutuo dato, ut

his

his diſtractis fructibus, filiusfamilias uteretur pecunia: ſubveniendum eſt filiofamilias, quia fraus fuit Senatuſconſulto adhibita, *l. Sed Julianus 9. §. Mutui dationem ff. ad Senat. Conſ. Maced.*

Lex XXXI. Idem lib. 33. ad legem Juliam, & Papiam.

Princeps (a) *legibus ſolutus eſt. Auguſta autem licèt legibus ſoluta non eſt: principes tamen eadem* (b) *illi privilegia tribuunt, quæ ipſi habent.*

a PRinceps *legibus ſolutus eſt*. Digna tamen vox eſt majeſtate Regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri, *l. digna vox 4. Cod. de legibus*, Atque ita facilius, exemplo ſuo, ad legum obſervantiam ſubditos attrahere. Nam, ut ait Claudianus in Panegyrico de quarto Conſulatu Honorii:

Componitur Orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos, edicta valent, ut vita Regentis.

Princeps igitur legibus ſolutus eſt, quoad vim coactivam, quia videlicèt eum nemo cogere poteſt ad leges obſervandas; ſed non quantum ad vim directivam, quia tenetur eas ſervare. Fachin. *Contr. Jur.* lib. 1. cap. 2. Ubi etiam potes videre alias hac de re Doctorum ſententias. In ſumma, Alii dicunt Principem ſolutum eſſe legibus pœnariis, Alii iis legibus ſolutum eſſe, quæ ad Juris ſolemnia pertinent, Cujacius ex inſcriptione noſtræ legis, ait ejus ſententiam, non generaliter accipiendam eſſe, ſed referendam ad leges Caducarias Juliam & Papiam, alii generaliter dicunt Principem legibus non teneri.

b *Eadem illi privilegia, &c. Facit l. Fiſcus 6. in fine, ff. de Jur. fiſ.* Ubi dicitur quod Privilegium quodcunque fiſco competit, hoc idem Cæſaris ratio, & Auguſtæ habere ſolet.

Lex

De quibus cauſis ſcriptis legibus non utimur, id cuſtodiri oportet, quod moribus (a) *& conſuetudine inductum eſt: & ſi qua in re hoc deficeret, tunc quod proximum* (b) *& conſequens ei eſt. Si nec id quidem appareat: tunc* (c) *jus, quo urbs Roma utitur, ſervari oportet.*

§. *Inveterata conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur (&* (d) *hoc eſt Jus, quod dicitur moribus conſtitutum.) Nam cùm ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ ſunt: meritò & ea, quæ ſine ullo ſcripto populus probavit, tenebunt omnes: Nam* (e) *quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis? Quare rectiſſimè etiam illud receptum eſt, ut leges non ſolum ſuffragio legiſlatoris, ſed* (f) *etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.*

a QVod moribus & conſuetudine. Regionis.

b *Tunc quod proximum & conſequens ei eſt.* Senſus eſt: In Jure non ſcripto interpretando idem faciendum eſſe quod in ſcripto, ut ſi quando deficiat, ſupplendum ſit ex eo, quod in ſimilibus cauſis, & quæ majorem cum propoſito caſu affinitatem habeant, conſtitutum, vel receptum inveniatur. Fab. hic.

c *Tunc Jus, quo Urbs Roma utitur, &c.* Tunc conſuetudo urbis Romæ ſervanda eſt.

d *Et hoc eſt Jus, quod dicitur moribus conſtitutum.* Conſuetudo eſt Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex cap. *conſuetudo*, diſt. 1. Proprius igitur conſuetudinis locus eſt in iis, quæ legibus non ſunt comprehenſa.

e *Nam cum ipſæ leges.* Quæ apud Populum rogatæ ſunt. Charond.

f *Sed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* Quia cùm tacitus ille conſenſus populi ſit lex quædam tacita, tantam vim habens quantum expreſſa; conſequens

ſequens eſt, ut quemadmodum per poſteriorem legem expreſſam prior poſſit abrogari, ita & poſſit per deſuetudinem, quaſi per quandam legem tacitam. Ex eodem Fabro. Obſtat *l. 2. Cod. Quæ ſit longa conſuet.* Ubi dicitur, quod conſuetudo non vincit legem. Reſp. quod non poteſt quidem conſuetudo vincere legem, ſed deſuetudo poteſt eam abrogare, Superiore ſcilicet obedientiam non exigente. Deſuetum eſſe dicitur, quod deſiit eſſe in uſu. Ergo factis non eſt opus ad deſuetudinem: ſufficit legem non ſervari, idque impunè. Itaque lex non dicitur contraria conſuetudine ſublata, ſed ſuo ſilentio periit. Conſuetudini auctoritas eſt Interpretandæ legis, non etiam ejus tollendæ, & abrogandæ, *l. Si de interpretatione* 37. *l. nam Imperator* 38. *ff. h. t. juncta d. l. 2. Cod. Quæ ſit longa conſuet.*

Lex XXXIII. Ulpianus lib. 1. de officio Proconſulis.

Diuturna (a) *conſuetudo pro Jure & lege in iis, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet.*

a Diuturna conſuetudo pro Jure & lege, &c.* Juſtinianus in *§. Ex non ſcripto, Inſtit. de Jure nat. gen. & civ.* Diuturni mores conſenſu utentium comprobati, legem imitantur. Nam, ut dicitur in *l. de quibus* 32. *§. Inveterata, ff. h. t.* Quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis? Quod tamen non ratione introductum eſt, ſed errore primùm, deinde conſuetudine obtentum, in aliis ſimilibus non obtinet, *l. Quod non ratione* 39. *ff. h. t.* Sed quæritur apud DD. quanto tempore, & quot exemplis inducatur conſuetudo? Et exiſtimant decem annis eam poſſe compleri, dùm ſaltem ſit duorum exemplorum teſtimonio comprobata. Ego, quia hæc nulla lege definiuntur, Judicis arbitrio relinquenda cenſeo, *arg. l. 1. §. ult. de Jur. delib. Ex Pac. in Analy. ad d. §. Ex non ſcripto.* Item quæritur: An neceſſe ſit, ut iſti actus ſint judiciales? Et communis eſt DD. ſententia, quod etiam extrajudicia-

 les

les actus notorii ſufficiant. *Oinot. in d. §. Ex nonſcripto, ſub num. 6. in fine.*

Lex XXXIV. Idem lib. 4. de Officio Proconſulis.

Cum de conſuetudine civitatis, vel provinciæ confidere quis videtur: primùm quidem illud explorandum arbitror; an etiam (a) *contradicto aliquando judicio conſuetudo firmata ſit.*

a AN *etiam contradicto aliquando Judicio conſuetudo firmata ſit.* Utile erit hoc proferre, non eſt tamen neceſſariò faciendum. Nam & conſuetudo per ſe valet ſatis abſque Judiciorum auctoritate, quæ auctoritas non inducit conſuetudinem, ſed eam probat inductam. Contradictum autem Judicium hoc loco dicitur illud, in quo, altero ex litigatoribus contradicente, & talem non eſſe conſuetudinem contendente, judicatum tandem ſit pro conſuetudine.

Lex XXXV. Hermogenianus lib. 1. Juris Epitomarum.

Sed & (a) *ea, quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, velut tacita* (b) *civium conventio, non minus, quàm ea, quæ ſcripta ſunt jura, ſervantur.*

a SEd *& ea, &c.* Ea, quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, non minùs, quàm ea, quæ ſcripta ſunt jura, ſervantur. Quanto autem tempore, & quot exemplis inducatur conſuetudo notatum fuit ſuprà ad *l. Diuturna conſuetudo* 33. *h. t.*

b *Velut tacita civium conventio.* Hæc tacita civium conventio inducitur, non ex eo quod omnes faciunt, ſed ex eo quod aliquibus id facientibus & obſervantibus, quod

nul-

nulla lege expreſſa permiſſum eſt, cæteri omnes patiuntur diſſentiente nemine. Ex Ant. Fab. hic.

Lex XXXVI. Paulus lib. 7. ad Sabinum.

Immo magnæ (a) *auctoritatis hoc Jus habetur, quod in tantum probatum eſt, ut non fuerit neceſſe* (b) *ſcripto id comprehendere.*

a IMmo magnæ auctoritatis hoc jus habetur. Non uſque adeò tamen ut aut rationem vincat, aut legem, *l.* 2. *Cod. Quæ ſit longa conſuet. Vide not. ſuprà ad fin. l. de quibus* 32. *ff. h. t.*

b *Ut non fuerit neceſſe ſcripto id comprehendere.* Ad dandam Juri non ſcripto auctoritatem, non eſt neceſſe ſcripto id comprehendere h. d. Quod ſi in ſcriptis redigatur, facilioris ſcilicèt probationis gratia: neque ea propter natura ejus immutatur, Bart. *in Repet. l. de quibus, num.* 7. *&* 8. *ff. h. t.*

Lex XXXVII. Idem lib. 1. Quæſtionum.

Si de interpretatione legis quæratur: in primis inſpiciendum eſt, quo jure Civitas retrò in ejuſmodi caſibus uſa fuiſſet: optima (a) *enim eſt legum interpres conſuetudo.*

Lex XXXVIII. Calliſtratus lib. 1. Quæſtionum.

Nam Imperator noſter Severus reſcripſit, in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur, conſuetudinem (b), *aut rerum* (c) *perpetuò ſimiliter* (d) *judicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere.*

a OPtima enim eſt, &c. Optima eſt legum interpres conſuetudo. Oppon. Quia ſolus Princeps poteſt legem interpretari, *l.* 1. *Cod. de legibus.* Reſp. diſtinguendo

inter tacitam, & expreſſam interpretationem. Conſuetudo tacito conſenſu populi recipitur, & tam legis habet vim, quàm legem interpretatur. Solus autem Princeps expreſsè Jura condit, vel interpretatur. Pac. *Leg. Concil.* Cent. 1. qu. 15.

b *Conſuetudinem, aut rerum perpetuò ſimiliter judicatarum auctoritatem, &c.* Alterutrum ergo ſufficit.

c *Perpetuò*. In omnibus ſcilicèt caſibus, qui poſt legem ſcriptam contigerint.

d *Similiter*. Uniformiter.

Lex XXXIX. Celſus lib. 23. Digeſtorum.

Quod non (a) *ratione introductum, ſed errore primùm, deinde conſuetudine obtentum eſt: in aliis ſimilibus non obtinet.*

a QVod non ratione, &c. Senſus hujus legis eſt, conſuetudinem non ratione, ſed errore primùm inductam, non ſolùm ad conſequentias produci non debere, ſed nec in ſimilibus caſibus obtinere, in quibus antea obtinuit. Quæ tamen obtinuerunt & obſervata ſunt, non revocantur. Fab. in Ration. ad hanc legem. Error igitur erit excuſandus, & ratum firmumque erit, quod ignoranter erratum eſt, ſed in poſterum non obtinebit in futuris negotiis.

Lex XL. Modeſtinus lib. 1. Regularum.

Ergo omne Jus (a) *aut conſenſus fecit, aut neceſſitas* (b) *conſtituit, aut firmavit* (c) *conſuetudo.*

a ERgo omne Jus aut conſenſus fecit. Conſenſus ſcilicèt expreſſus totius populi. Conſenſus expreſſus Populi fecit leges, itemque Plebiſcita, quæ lege Hortenſia vim legis habent. *§. lex eſt, & §. Plebiſcitum, Inſtit. de Jure nat. gen. & civ.* & Conſtitutiones Principum, propter legem Regiam,

Regiam, *l.* 1. *ff. de conſtit. princip. Ex Fab. in Ration.*

a *Aut neceſſitas conſtituit*. Jus, quod neceſſitas fecit, eſt Senatuſconſultum, *l.* 2. *§. Deinde quia difficile, ff. de origin. Jur. §. Senatuſconſultum, Inſtit. de Jur. nat. gen. & civ.* Aucto enim numero Populi, neceſſitas ipſa curam Reipublicæ ad Senatum deduxit: & inde nata Senatuſconſulta. Et ſub iiſdem verbis: Aut neceſſitas conſtituit: continentur etiàm Jus Prætorum, & Reſponſa prudentum. Similiter enim neceſſe fuit admitti auctoritatem Magiſtratuum & prudentum, *l.* 2. *§. Poſt originem, & §. his legibus ff. de orig. Jur.*

c *Aut firmavit conſuetudo*. Jus, quod firmavit conſuetudo, eſt quod inveteratus mos attulit. Sed & hoc Jus conſenſus facit, verùm tacitus: legem expreſſus.

Lex XLI. Ulpianus lib. 2. Inſtitutionum.

Totum autem Jus conſiſtit aut in (a) *adquirendo, aut in* (b) *conſervando, aut in* (c) *minuendo: aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cujuſque fiat, aut quemadmodum quis rem vel Jus ſuum conſervet, aut quomodo alienet, aut amittat.*

a *Aut in adquirendo*. Ad hanc partem pertinent obligationes, contractus, teſtamenta, & alii quotquot ſunt modi adquirendi, ſive ſingulariter, ſive per univerſitatem: de quibus toto lib. 2. & 3. *Inſtit.*

b *Aut in conſervando*. Ad hanc partem pertinent actiones, tam civiles, quàm honorariæ, & Interdicta. Eſt enim Actio Jus perſequendi in Judicio, quod ſibi debetur, *l. Nihil aliud* 51. *ff. de oblig. & act.* Ideoque non dicitur acquirere, qui agit, quia is, qui actionem habet, rem quoque ipſam jàm habere videtur, *l. Is, qui actionem* 15. *ff. de reg. Jur.* Pertinent etiam ad hanc partem exceptiones. Nec enim dantur unquam pro Jure quærendo, ſed pro jàm quæſito conſervando.

c *Aut in minuendo*. Ad hanc partem pertinent donatio-

nes,

nes, & delicta. His enim modis patrimonium cujuſque minuitur. Ex Fabro in *Ration.* ad hanc noſtram legem, à quo etiam deſumptæ ſunt aliæ duæ ſuperiores Notæ.

Ad Leges Tit. IV. ff. de Conſtitutionibus Principum.

Lex I. Ulpianus lib. 1. Inſtitutionum.

Quod Principi (a) *placuit, legis habet* (b) *vigorem: utpote cùm lege* (c) *Regia, quæ de* (d) *Imperio ejus lata eſt, populus ei* (e) *& in eum omne ſuum Imperium & poteſtatem* (f) *contulerit. Quodcunque igitur Imperator per* (g) *epiſtolam &* (h) *ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens* (i) *decrevit, vel de* (k) *plano interlocutus eſt, vel Edicto* (l) *præcepit: legem eſſe conſtat. Hæc ſunt, quas Conſtitutiones vulgò appellamus. Planè ex his quædam* (m) *ſunt perſonales, nec ad exemplum trahuntur. Nàm quæ Princeps alicui ob merita indulſit, vel ſi quam* (n) *pœnam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit: perſonam non egreditur.*

a *QUod Principi placuit.* Legis condendæ animo.
b *Legis habet vigorem.* Vim, robur & auctoritatem. Id tamen duntaxat legis nomine dignum eſt, quod eſt honeſtum & juſtum.

c *Cum Lege Regia.* Legem Regiam pro Auguſto latam fuiſſe intelligitur ex Strabone lib. 17. in fine, ubi de Auguſto loquens ait, quòd Civitas ei totius Imperii adminiſtrationem permiſit, & pacis & belli poteſtatem ad annos vitæ. Eadem lex poſteà pro aliis Imperatoribus fuit renovata. Et dicta fuit Regia, quod Regia poteſtas per eam conceſſa fuerit.

d *Quæ de Imperio ejus lata eſt.* Unde etiam Lex Imperii vocatur. *l.* 3. *Cod. de Teſtamentis.*

e *Populus ei, & in eum, &c.* Hoc eſt, Populus lege Regia omne Imperium ſuum & poteſtatem conceſſit Principi quoad

quoad honorem, & in Principem quoad onus. Ex Accurſ.

f *Contulerit*. In aliis: conferat.

g *Per epiſtolam*. Epiſtola eſt Reſcriptum Principis ad relationem Magiſtratus alicujus, de re quapiam dubia emiſſum. Theoph. in *§. Sed & quod Principi Inſtit. de Jure nat. gen. & civ.*

h *Et ſubſcriptionem*. Per ſubſcriptionem ſtatuit Princeps, quando libellis ſupplicantium ſententiam ſuam ſubſcribit, *l. Non diſtinguemus* 37. *§. Cùm quidam ff. de recept. arbit.*

i *Decrevit*. Decretum hoc loco eſt ſententia Principis inter duas partes, de quarum cauſa ipſe cognoſcit, & judicat, pronunciata.

k *Vel de plano interlocutus eſt*. De plano interloquitur Princeps, quando pro Tribunali non ſedet, ſed, uti ſolent Judices, ſummatim aliquid conſtituit, non ſedens pro Tribunali. Baro hic.

l *Vel edicto præcepit*. Edictum eſt quidquid ex ſua natura motus Princeps ſtatuit ad honeſtatem & utilitatem ſubditorum. Theoph. ubi ſupra.

m *Ex his quædam ſunt perſonales, &c.* Conſtitutionum aliæ perſonales ſunt, aliæ generales. Generales ſunt, quæ ad omnes pertinent. Perſonales verò ſunt, in quibus propter certæ perſonæ rationem, à Jure communi receſſum eſt: Quæ nec ad exemplum trahuntur. Nam quod Princeps alicui ob merita indulſit, vel ſi quam pœnam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit: perſonam non egreditur, ut hic in textu.

n *Vel ſi quam pœnam irrogavit*. Graviorem legitima pro emergentis cauſæ intuitu.

Lex II. Ulpianus lib. 4. fideicommiſſorum.

In rebus (a) *novis conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum viſum eſt.*

a IN *rebus novis, &c.* Hujus legis verus ſenſus eſt: Principem non poſſe veteres juſtas leges abrogare, & novas conſtituere ſine evidenti populorum utilitate. Salomon. hic. Ubi etiam addit, quod quamvis pro Principe vulgaris præſumptio ſit, ut quidquid agit, juſtè agat: Tamen in abrogandis juſtis legibus non præſumitur Principem juſta cauſa moveri, quia Juſtitia antiquæ legis repugnat.

Lex III. Jabolenus Epiſtolarum lib. 13.

Beneficium (a) *Imperatoris, quod à divina ſcilicèt ejus indulgentia proficiſcitur, quàm pleniſſimè interpretari debemus.*

a B*Eneficium Imperatoris, &c.* Cùm dicimus beneficia Principum latiſſimam interpretationem accipere, non eſt intelligendum nos omninò pleniſſimè interpretari debere, ſed quam pleniſſimè licet: ita ut interpretatio noſtra voluntati Principis non adverſetur: neque enim credendum eſt Principem alicui velle officere. Teoph. in §. *Prætorum, Inſtit. de Jure nat. gen. & civ.* Neque credendum eſt, cum Jura multis vigiliis excogitata velle everti. *l. Si quando 35. in princ. Cod. de inoffic. teſtam. Pacius Legum Conciliat. Cent. 1. q.* 19. Ideoque ſi quis à Principe ſimpliciter impetraverit, ut in publico loco ædificet: non eſt concedendum ſic ædificare, ut cum incommodo alicujus id fiat; *l. Prætor ait 2. §. Si quis à Principe ff. Ne quid in loco publico; &c.* Item ſi quando talis conceſſio Imperialis proceſſerit, per quam libera teſtamenti factio conceditur ei, qui aliàs teſtari non poterat, nihil aliud videtur conceſſum, niſi ut habeat legitimam & conſuetam Teſtamenti factionem, *d. l. Si quando 35. in princ. Cod. de inoffic. Teſtam.*

Lex IV. Modeſtinus lib. 2. Excuſationum.

Conſtitutiones (a) *tempore poſteriores, potiores ſunt his, quæ ipſas præceſſerunt.*

a *Con-*

a *Conſtitutiones, &c.* Conſtitutiones tempore poſteriores, potiores ſunt his, quæ ipſas præceſſerunt, *l.* 1. *§. Si ſervi ff. de Quæſtionibus.* Quod de iis accipiendum eſt, quæ ſunt contrariæ: alioqui aliæ ad alias trahuntur, *l. Sed & poſteriores* 28. *ff. de Legibus*.

Ad Leges Tit. V. ff. de Statu (a) hominum.

Lex Prima. Gajus lib. 1. Inſtitutionum.

Omne Jus (b), *quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad* (c) *res, vel ad* (d) *actiones*.

a *De Statu hominum*. Quod hic Status hominum dicitur, in titulo Inſtitutionum de Jure perſonarum, Jus perſonarum appellatur.

b *Omne Jus, quo utimur, &c.* Ideſt, omne Jus, quod in uſu eſt nobis civibus Romanis, vel de perſonis, vel de rebus, vel de actionibus conſtitutum eſt.

c *Vel ad res*. Acquirendas ſcilicèt, & alienandas.

d *Vel ad actiones*. Quibus in Judicio diſceptari poſſit.

Lex II. Hermogenianus lib. 1. Juris Epitomarum.

Cùm igitur (a) *hominum cauſa omne* (b) *Jus conſtitutum ſit: primò de* (c) *perſonarum ſtatu, ac poſt de cæteris, ordinem* (d) *perpetui edicti ſecuti, & his proximos atque conjunctos applicantes titulos, ut res patitur, dicemus*.

a *Cum igitur hominum cauſa, &c.* Nam finis Juris eſt publica ſalus, & Civium ſubditorumque tranquilitas: Ideò in XII. Tab. hæc lex ſcripta fuit: Salus populi ſuprema lex eſto. ex Mynſ.

b *Omne Jus*. Quo utimur, ut in præced. leg.

c *Primò de perſonarum ſtatu, &c.* Primò de Jure perſonarum dicemus, ac poſt de cæteris. Nam parum eſt noſſe Jus

reliquum, ſi Jus perſonarum, quarum cauſa omne Jus conſtitutum eſt, ignoretur.

d *Ordinem perpetui edicti*. Prætorum Edicta annua primùm fuere, ſed quia Prætores variè Jus dicere ſolebant: Ideò lata Lege à Cornelio, cœperunt eſſe perpetua. Quæ omnia Salvius Julianus Juriſconſultus tempore Hadriani Principis, in unum collegit, & ſub congruis titulis poſita interpretatus eſt. Bud. ad noſtram *l.* 2. & Alciat. *Diſpunct.* lib. 2. cap. 27.

Lex III. Gajus lib. 1. Inſtitutionum.

Summa (a) *itaque diviſio de Jure perſonarum hæc eſt, quod omnes homines, aut liberi ſunt, aut ſervi.*

a SUmma itaque diviſio. Hoc eſt, Prima, præcipua, & principalis diviſio. Alii explicant, Summa diviſio: Ideſt, maxima diviſio. Fuit autem hæc perſonarum differentia Jure gentium in mores perducta contra naturam, quòd ab initio omnes homines & liberi, & æquales naſcerentur. *§. Servitus autem, de Jure perſon. & princ. Tit. de libertinis.*

Lex IV. Florentinus lib. 9. Inſtitutionum.

Libertas eſt (a) *naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi* (b), *aut Jure prohibeatur. Servitus* (c) *eſt conſtitutio Juris gentium, qua quis dominio* (d) *alieno contra* (e) *naturam ſubjicitur. Servi ex eo appellati ſunt, quod* (f) *Imperatores captivos* (g) *vendere, ac per hoc ſervare, non occidere ſolent. Mancipia verò dicta, quod ab hoſtibus manu capiantur.*

a LIbertas eſt naturalis facultas ejus, &c. Hoc eſt, poteſtas, à natura hominibus data, faciendi quæ velint. Seu, ut definit Cicero in Paradoxis: Libertas eſt poteſtas viven-

vendi ut velis. Perſius Satyrâ 5.

An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam
Cui licet ut voluit?

b *Niſi ſi quid vivi, aut Jure prohibeatur*. Per hæc verba datur intelligi libertatem non propterea infringi, quod quis vi, aut Jure quandoque prohibeatur facere quod ei libet. Servitus enim Juris & legum non eſt ſervitus. Cicero pro Cluentio. Non item vi latronum opprimi, *l. Qui à latronibus* 13. *ff. Qui teſtam. fac. poſs. l. hoſtes* 24. *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.*

c *Servitus eſt conſtitutio Juris gentium*. Fuit enim ſervitus Jure gentium introducta, *l.* 4. *ff. de Juſt. & Jur.*

d *Qua quis dominio alieno*. Vult enim Jus belli, & victores, eorum quos vicerint, domini fiant. Theoph. ad §. *Servitus autem, Inſtit. de Jure perſon.*

e *Contra naturam*. Quia ſervitus naturali Juri contraria eſt. §. *Jus autem gentium, Inſt. de Jur. nat. gen. & civ.*

f *Imperatores*. Imperatores veteri more exercitus duces, qui fuſis hoſtibus eo deinceps nomine à militibus appellarentur apud Florentinum hic intelligimus.

g *Captivos vendere, ac per hoc ſervare, non occidere ſolent*. Horat. epiſt. 16. lib. 1.

Vendere cum poſſis captivum, occidere noli,
Serviet utiliter.

Olim igitur liberum erat ſervos ſuos occidere. Vitæ enim neciſque poteſtas in ſervos dominorum erat. Sed Jus Civile dominorum poteſtatem limitavit, & coarctavit. Nam ex Conſtitutione Divi Pii Antonini, qui ſine cauſa ſervum occiderit, non minus puniri jubetur, quàm ſi alienum ſervum occiderit. §. *In poteſtate, Inſtit. de iis qui ſui, vel alieni Juris ſunt.*

Lex V. Marcianus lib. 1. Inſtitutionum.

Et ſervorum (a) *quidem una eſt conditio: liberorum autem hominum quidam ingenui* (b) *ſunt, quidam libertini: Servi*

 au-

autem in dominium noſtrum rediguntur, aut Jure (c) *Civili, aut gentium. Jure Civili, ſi quis ſe* (d) *major viginti annis ad pretium participandum venire paſſus eſt. Jure gentium ſervi noſtri ſunt, qui ab hoſtibus* (e) *capiuntur, aut qui ex* (f) *ancillis noſtris naſcuntur. Ingenui ſunt* (g), *qui ex matre libera nati ſunt. Sufficit autem liberam fuiſſe eo tempore, quo naſcitur, licèt ancilla concepit: & è contrario ſi libera conceperit, deinde ancilla pariat: placuit eum, qui naſcitur liberum naſci: nec intereſt* (h), *ex juſtis nuptiis conceperit, an vulgò: quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in utero eſt. Ex hoc quæſitum eſt, ſi ancilla pregnans manumiſſa ſit, deinde ancilla poſteà facta, aut expulſa civitate, peperit: liberum, an ſervum pariat? Et tamen rectius probatum eſt, liberum naſci: & ſufficere ei, qui in ventre eſt, liberam matrem, vel medio tempore habuiſſe.*

a ET *ſervorum quidem,&c.* In ſervorum conditione nulla eſt differentia. Neque enim de quoquam eorum dicere poſſis, minus ſervus, aut magis ſervus. Theoph. ad *§. ult. Inſtit. de Jure perſon.* Quoad officia tamen, alii ſunt viliores, alii honeſtiores, *l. Sed et ſi 18. §. 1. ff. de Uſufructu.*

b *Quidam Ingenui ſunt, quidam libertini.* Sed noviſſimo Jure omnes homines liberi, ſunt ingenui, ſalvo tamen manumiſſoribus in manumiſſos Jurepatronatus. Novella 78.

c *Aut Jure Civili.* Servitus Jure gentium inventa eſt. *princ. tit. Inſtit. de libertinis.* Jus autem civile addidit Juri gentium alias ſervitutis cauſas, ut puta cùm quis major viginti annis ad pretium participandum ſe venundari paſſus eſt, ut hic in textu: aut cùm quis ſervus pœnæ efficitur atrocitate ſententiæ; aut cum liberti condemnantur ingrati erga patronos. *§. Maxima. Inſtit. de capit. demin.*

d *Si quis ſe major viginti annis, &c.* Plura tamen requiruntur ad hoc ut aliquis hoc modo ſervus fiat, quæ notata ſunt in meis Comment. *Inſtit. ad §. penult. de Jure perſonarum in penult. nota.*

e *Qui ab hoſtibus capiuntur.* Hodie tamen qui in Chriſtiano-

ſtianorum bello capiuntur, in ſervitutem non rediguntur.

f *Aut qui ex ancillis noſtris naſcuntur*. Nam omne, quod naſcitur ex re noſtra, Jure gentium noſtrum eſt. *§. Item ea, quæ ex animalibus. Inſtit. de rer. diviſ.*

g *Ingenui ſunt, qui ex matre libera, &c.* Non inſpecto cujus conditionis ſit pater. *princ. Tit. Inſtit. de Ingenuis*: Quod principium ex hac noſtra lege apprret deſumptum. Et in meis Comment. Inſtit. ibidem notavi ea, quæ faciunt ad intelligentiam eorum, quæ hic in textu ſequuntur uſque ad finem legis.

h *Nec intereſt, ex juſtis nuptiis conceperit, an vulgò.* Videtur hic Verſiculus ineptè interjectus ab aliquo Interprete. Ant. Fab. hoc eod. loco. Certè in dicto princ. *Tit. Inſtit. de Ingenuis*, non eſt hic verſ.

Lex VI. Gajus lib. 1. Inſtitutionum.

Libertini (a) *ſunt, qui ex* (b) *juſta ſervitute manumiſſi ſunt.*

a Libertini ſunt, *&c.* De differentia, quæ eſt inter has duas voces, Libertinus, & Libertus, vide notata ſuprà ad *l. 4. De Juſt. & Jur.* & pleniùs in meis Comment. *Inſtit. ad princ. Tit. de Libertinis, in not. incipien. Libertini ſunt.*

b *Qui ex juſta ſervitute*. Nam qui ex injuſta, vel putativa ſervitute manumittuntur, libertini non efficiuntur. *§. ult. Inſtit. de Ingenuis*, v. g. Qui à latronibus captus ſervit, & manumittitur, Libertinus non eſt: cùm ſervitus juſta non fuerit, *l. hoſtes 24. ff. de capt. & poſtlim. rev.* Similiter qui natus ingenuus, ſuæ conditionis ignarus, ſervit, & manumittitur, libertinæ conditionis non efficitur: ſæpiſſimè enim conſtitutum eſt, natalibus non officere manumiſſionem. *d. §. ult. Inſt. de Ingen.* Cœterùm not. quod hodie ex Novella 78. Manumiſſi omnes Ingenui ſunt, non libertini: ſalvo tamen manumiſſoribus in manumiſſos Jure patronatus.

Lex VII. Paulus libro ſingulari de Portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur.

Qui in (a) *utero eſt: perinde ac ſi in rebus humanis eſſet, cuſtoditur, quoties de commodis ipſius partus quæritur: quanquam* (b) *alii, antequam naſcatur, nequaquam proſit.*

a QVi in utero eſt, &c. Quoties de commodis partus quæritur, qui in utero eſt, habetur pro nato, e. gr. in Conſtitutione Adriani in *l. Cùm ratio 7. ff. de bonis damnatorum*, qua pluribus liberis omnia damnatorum bona conceduntur, liberis adnumerantur qui erant in utero damnationis tempore, & ita ſecundùm inſcriptionem accipit Cujac. noſtram legem *in Comment. ad l. 2. ff. de excuſationibus*.

b *Quamquam alii, antequàm naſcatur, nequaquam proſit*. Opponitur quia prodeſt matri prægnanti: quæ ſi ultimo ſupplicio damnata ſit, non ſtatim punitur, ſed ſervatur donec pariat, *l. Imperator Adrianus 18. ff. h. t.* Immò ne quæſtio quidem de ea habetur, quandiu prægnans eſt, *l. 3. ff. de pœnis*. Reſp. quod difertur quæſtio & pœna, non favore matris, ſed favore ipſius partus.

Lex VIII. Papinianus lib. 3. Quæſtionum.

Imperator Titus Antoninus reſcripſit, non lædi (a) *ſtatum liberorum ob tenorem Inſtrumenti malè concepti.*

a NOn lædi ſtatum liberorum, &c. Non læditur ſtatus liberorum, ob tenorem Inſtrumenti malè concepti. *tex. hic.* Veritas enim, rerum erroribus geſtarum non vitiatur, *l. Illicitas 6. §. 1. ff. de offic. præſid.* Similiter error ſcriptoris in tranſcribendis ſtipulationis verbis, non vitiat ſtipulationem, *l. Si librarius 92. ff. reg. Jur.* Idem in cæteris contractibus, *l. 1. Cod. plus valere quod agitur, &c.* Idem in

Te-

Teſtamento: Neque enim vitiat Teſtamentum error ſcribentis, *l. Error 7. Cod. de Teſtamentis*.

Lex IX. Idem lib. 31. Quæſtionum.

In multis Juris noſtri articulis deterior (a) *eſt conditio fœminarum, quàm maſculorum*.

a DEterior *eſt conditio fœminarum, &c.* e. g. Fœminæ ab omnibus officiis civilibus, vel publicis, remotæ ſunt: & ideò nec Judices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exiſtere. *l. 2. ff. de reg. Jur.* cujus *l.* 2. explicationem videte in meis Comment. ad eandem.

Lex X. Ulpianus lib. 1. ad Sabinum.

Quæritur, Hermaphroditum cui comparemus: & magis puto ejus ſexus æſtimandum, qui in eo (a) *prævalet*.

a QVi *in eo prævalet. l. Repetundarum 15. §. 1. ff. de Teſtibus, l. Sed eſt quæſitum 6. in fine ff. de liber. & poſthum.*

Lex XI. Paulus l. 18. Reſponſorum.

Paulus (a) *reſpondit eum, qui vivente patre, &* (b) *ignorante de conjunctione filiæ conceptus eſt, licèt poſt mortem avi natus ſit, juſtum* (c) *filium ei, ex quo conceptus eſt, eſſe non videri*.

a PAulus *reſpondit, &c.* Non ſolùm filii, & filiæfamil., ut juſtas nuptias contrahant, præcedentem conſenſum habere debent parentum, quorum in poteſtate ſunt, ſed & ſui Juris puellæ, intra 25. annum conſtitutæ, conſenſum patris habere debent, vel matris, & propinquorum, ſi pa-

trem

trem non habeant, *l. 1. l. Viduæ 18. l. In conjunctione 20. Cod. de Nuptiis*. Paulus tamen *Recept. Sent.* lib. 2. *Tit. de Nuptiis*, contemplatione publicæ utilitatis, tolerandum voluit matrimonium ſine conſenſu patris à filiofamilias contractum. Et Jus Canonicum de honeſtate, non de neceſſitate exigit ut filiifamiliarum ad matrimonium contrahendum conſenſum habeant parentum. Vide Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. *De reform. Matr.*

b *Et ignorante*. Si enim ſciat, intelligitur conſentire, niſi evidenter diſſentiat, *l. 5. Cod. de Nuptiis. l. 7. ff. de Sponſal.*

c *Juſtum filium ei, ex quo conceptus eſt, eſſe non videri*. Ratio eſt, quia, Jure Civili, Tales nuptiæ ab initio non fuerunt validæ, *l. 2. ff. de Ritu nupt.* Et conſequenter ex poſt facto convaleſcere non poſſunt.

Lex XII. Idem lib. 19. Reſponſorum.

Septimo (a) *menſe naſci perfectum partum jam receptum eſt propter auctoritatem doctiſſimi viri Hyppocratis : & ideò credendum eſt eum, qui ex juſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, juſtum* (b) *filium eſſe.*

a S*eptimo menſe naſci, &c.* De eo, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die mortis patris natus eſt, Hyppocrates ſcripſit, & Divus Pius Pontifici bus reſcripſit, juſto tempore videri natum. *l. 3. in fine, ff. de ſuis, & legit. hæred.*

b *Juſtum filium eſſe*. Idem, ſi poſt mortem patris in decem menſibus proximis natus eſt. *l. Gallus 29. in princ. ff. de liber. & poſth. & d. l. 3. in fine.*

Lex XIII. Hermogenianus lib. 1. Juris Epitomarum.

Servus (a) *in capitali cauſa, fortunæ judicio, à domino commiſſus, & ſi fuerit abſolutus, non fit* (b) *liber.*

a SErvus, &c. Liber non fit ſervus, qui à domino non eſt defenſus in capitali crimine, poſteaque abſolutus eſt. *l. Ille ſervus 9. §.1. ff. Qui, & à quib. manumiſs. l. ſciendum 9. ff. de Publ. Jud.*

b *Non fit liber*. Non enim videtur hic ſervus pro derelicto haberi à domino. *d. l. ſciendum 9. ff. de Public. Jud.*

Lex XIV. Paulus lib. 4. Sententiarum.

Non ſunt (a) *liberi, qui contra formam humani generis converſo more procreantur: veluti ſi mulier monſtruoſum aliquid, aut prodigioſum enixa ſit. Partus* (b) *autem, qui membrorum humanorum officia ampliavit, aliquatenus videtur effectus: & ideò inter liberos connumerabitur.*

a NOn ſunt liberi, &c. Partus monſtruoſi, aut prodigioſi, non ſunt liberi. Pertinet hæc ſententia propriè ad S.C. Tertullianum, quod matri concedit beneficium ſuccedendi filio, quod antea non habebat. Igitur monſtroſus, vel prodigioſus partus in S.C. Tertulliano matri non prodeſt. Paulus *Recept. Sent. lib. 4. Tit. 9. §. Mulier*. Contra Ulpianus *in l. Quæret* 135. *ff. de verb. ſig.* Prodigioſum, vel monſtroſum partum matri in lege Papia prodeſſe ait. Diverſitatis ratio aliqua reddi poteſt. Odioſa enim eſt lex Papia, quæ orbas eorum quæ in Teſtamentis relinquuntur ſemiſſe multat, auctore Nicephoro lib. 7. cap. 47. in S.C. Tertulliano de lucro certatur, in lege Papia *De damno*. Plus autem favendum eſt his, qui de damno vitando, quàm de lucro captando certant, *l. ult. §. Sin verò creditores Cod. de Jur. de liber.* Ex Cujac. ad Paulum ubi ſuprà. Et hæc ſolutio eſt ex mente veterum auctorum, Ulpiani & Pauli. Altera ſolutio poteſt afferri ex mente Juſtiniani, cujus juſſu reſponſa Juris Conſultorum poſita ſunt in Pandectis, ut dicamus Monſtroſa non computari quidem loco liberorum, nihilominùs tamen prodeſſe matri: prodeſſe, inquam, non quia ſint liberi, ſed quia mater enixa eſt, nec debemus ei imputa-

putare quod non fuit in ipſius poteſtate, ſed fato accidit. *Pac. Leg. Conciliat. Cent.* 1. *q.* 25. *in fine*.

b *Partus autem*, *&c.* Partus, qui habet humana membra ampliata, inter liberos connumerantur.

Lex XV. Triphonius lib. 10. Diſputationum.

Areſcuſa (a), *ſi tres pepererit, libera eſſe teſtamento juſſa, primo partu unum, ſecundo tres peperit. quæſitum* (b) *eſt, an & quis eorum liber eſſet? Hæc conditio libertati appoſita, jam implenda mulieri eſt, ſed non dubitari debet, quin ultimus liber naſcatur, nec enim natura permiſit ſimul uno impetu duos infantes de utero matris excedere: ut ordine incerto naſcentium non appareat, uter in ſervitute, libertatéve naſcatur. Incipiente igitur partu, exiſtens conditio efficit, ut ex libera edatur, qui poſtea naſcitur, veluti ſi quælibet alia conditio libertati mulieris adpoſita, parturiente ea, exiſtat: vel manumiſſa* (c) *ſub hac conditione, ſi decem millia hæredi, Titióve dederit, eo momento, quo parit, per alium impleverit conditionem: jam libera peperiſſe credenda eſt.*

Lex XVI. Ulpianus lib. 6. Diſputationum.

Idem (d) *erit, ſi eadem Areſcuſa primo duo pepererat, poſteà geminos ediderat: dicendum eſt enim, non poſſe dici utrumque ingenuum naſci, ſed eum, qui poſterior naſcitur. Quæſtio ergo facti potius eſt, non Juris.*

a Areſcuſa, *&c.* Areſcuſa Teſtamento manumiſſa eſt ſub conditione, ſi tres peperiſſet. Primo partu unum, ſecundo Tergeminos peperit: vel peperit duos primò, poſteà geminos: Quartus liber naſcitur quaſi ex matre libera.

b *Quæſitum eſt*, *&c.* Antonius Faber hoc eodem loco exiſtimat, quod ea, quæ hic ſequuntur, uſque ibi: Incipiente partu, &c. ſint Triboniani, parum elegantia, inepta & falſa.

c *Vel*

c *Vel manumiſſa ſub hac conditione, &c.* Ancilla Teſtamento manumiſſa ſub hac conditione, ſi decem millia hæredi, Titióve dederit: liberum parit, ſi eo momento, quo parit, per alium impleverit conditionem.

d *Idem erit, &c.* Anton. Faber exiſtimat, quod hæc lex 16. ſit Triboniani abutentis nomine Ulpiani.

Lex XVII. Idem lib. 22. ad Edictum.

In orbe (a) *Romano qui ſunt, ex Conſtitutione* (b) *Imperatoris Antonini cives Romani effecti ſunt.*

a IN *orbe Romano, qui ſunt.* Hoc eſt, qui ſunt ſub ditione Romana.

b *Ex Conſtitutione Imperatoris Antonini, &c.* Ante Conſtitutionem Antonini, de qua hic mentio fit, non omnes Imperio Romano ſubditi, Romanæ Civitatis Jus habebant, ſed id ex privilegio huic, aut alteri nationi concedebatur. Poſtea verò omnes, qui ſunt in orbe Romano, lege Antonini, Cives Romani effecti ſunt. Tex. hic. Facit etiam Novella 78. circa finem.

Lex XVIII. Idem lib. 27. ad Sabinum.

Imperator Adrianus Publio Marcello reſcriptis, liberam, quæ prægnans ultimo (a) *ſupplicio damnata eſt, liberum* (b) *parere: & ſolitum eſſe* (c) *ſervari eam, dum partum ederet. Sed ſi ei, quæ ex juſtis nuptiis concepit, aqua* (d) *& igni interdictum eſt: civem* (e) *Romanum parit, & in poteſtate patris.*

a ULtimo *ſupplicio damnata.* Qui ultimo ſupplicio damnantur, fiunt ſervi pœnæ, *l. Qui ultimo ſupplicio 29. ff. de pœnis.* Sed Jure noviſſimo nemo Ingenuus ex ſupplicio fuit ſervus *A. de nuptiis cap. 2. §. Quod autem.*

b *Liberum parere.* Sufficit enim ei, qui in ventre eſt,

 matrem,

matrem liberam aliquo tempore habuiſſe ut liber naſcatur, *l. Et ſervorum* 5. §. 2. & 3. *ff. h. t.*

c *Et ſolitum eſſe ſervari eam, &c.* Mulier, quæ prægnans ultimo ſupplicio damnata eſt, non ſtatim punitur, ſed ſervatur donec pariat. tex. hic. Immò ne quæſtio quidem de ea habet ur, quandiu prægnans eſt, *l.* 3. *ff. de pœnis*.

d *Aqua & igni interdictum eſt*. De Aquæ & ignis interdictione vide in meis Comment. Inſtit. *ad §. Minor, de capitis deminut.* Et nota, quod in locum Aquæ & ignis interdictionis ſucceſſit deportatio, *l.* 3. *ff. ad leg. Jul. pecul. l.* 2. *§. Conſtat ff. de pœnis*. Et deportati amittunt civitatem, *l. Quidam ſunt* 17. *ff. de pœnis* ſicuti eam amittebant aqua & igne interdicti. *dicto §. Minor*.

e *Civem Romanum parit, &c.* Quia ſufficit matrem civem Romanam aliquo tempore fuiſſe dum prægnans erat, ut civem Romanum pariat, & in poteſtate patris.

Lex XIX. Celſus lib. 29. Digeſtorum.

Cum legitimæ (a) *nuptiæ factæ ſunt, patrem liberi ſequuntur*: *Vulgò* (c) *quæſitus matrem* (d) *ſequitur*:

a CUm legitimæ nuptiæ, &c. Pater enim is eſt, quem nuptiæ demonſtrant, *l. Quia ſemper* 5. *ff. de in Jus vocando*.

b *Patrem liberi ſequuntur*. Sunt in familia, agnationéve, aut gente patris.

c *Vulgò quæſitus*. Vulgò quæſitus quis dicatur habes infrà in *l. Vulgò concepti* 23. *h. t.*

d *Matrem ſequitur*. Eſt in cognatione matris. Et conſequenter admittitur ex S. C. Orphiciano ad matris legitimam hæreditatem, *l.* 1. *§. Sed & vulgò, ff. ad S. C. Tertyll. & Orphic.* Matri tamen illuſtri, ſpurii non ſuccedunt, juſtis liberis extantibus, *l. Si qua illuſtris* 5. *C. ad S. C. Orphic.* Non tamen in dicta l. 5. negatur matrem illuſtrem ſpurio ſuccedere, neque nos id negare audemus. Et etiam vulgò quæſiti

ſiti liberi, matris, & mater talium liberorum, item ipſi fratres inter ſe proximitatis nomine bonorum poſſeſſionem petere poſſunt: quia ſunt invicem ſibi cognati. *l.* 2. *&* 4. *ff. Unde cognati*.

Lex XX. Ulpianus lib. 38. ad Sabinum.

Qui furere (a) *cœpit, & ſtatum, & dignitatem, in qua fuit, &* (b) *Magiſtratum, & poteſtatem* (c) *videtur retinere, ſicut & rei ſuæ dominium* (d) *retinet*.

a QUi *furere cœpit*. Furor eſt mentis ad omnia cæcitas. Cic. *Tuſcul. Quæſt.* lib. 3.

b *Et Magiſtratum*. Ut Præturam, vel Præfecturam.

c *Et poteſtatem*. Et poteſtatem aliam ſine ordinario Magiſtratu quæſitam. Baro hic.

d *Rei ſuæ dominium retinet*. Nullum tamen negotium contrahere poteſt, *l. In negotiis* 5. *ff. de reg. Jur.*

Lex XXI. Modeſtinus lib. 7. Regularum.

Homo (a) *liber, qui ſe vendiderit, manumiſſus, non ad ſuum ſtatum revertitur, quo ſe abdicavit: ſed efficitur libertinæ conditionis.*

a HOmo *liber, &c.* Homo liber, qui ſe vendiderit, manumiſſus, non revertitur ad ingenuitatem, ſed efficitur libertinæ conditionis. Opponitur per *tex. in §. ult. Inſtit. de Ingenuis*, ubi dicitur, quòd cum ingenuus aliquis natus ſit, non officit illi, in ſervitute fuiſſe, & poſtea manumiſſum eſſe. Reſp quod in *d. §. ult.* In ſervitute eſſe, ſervire eſt, non ſervum eſſe. Aliud enim eſt ſervum eſſe, aliud ſervire. *Quintil. Inſtit. Orat.* lib. 5. cap. 10. *verſ. Quod autem proprium*. Servus eſſe is dicitur, qui verè eſt ſervus, ſervire, ſeu in ſervitute eſſe dicitur is, qui habetur pro ſervo, cùm re vera ſit liber. Qui igitur in ſervitute eſt, per manumiſſio-

miſſionem, non efficitur libertinæ conditionis *ad §. ult.* Qui verò ſervus factus eſt, per manumiſſionem fit libertinus, ut in hac noſtra lege. Ex Novella Conſtitutione Leonis 59. Si quis ſe ipſum vendat, ſervus non efficitur, ſed verberibus tantum caſtigatur.

Lex XXII. Idem lib. 12. Reſponſorum.

Herennius (a) *Modeſtinus reſpondit, ſi eo tempore enixa eſt ancilla, quo ſecundum legem donationis manumiſſa eſſe debuit: cùm ex* (b) *conſtitutione libera fuerit, ingenuum ex ea natum.*

a Herennius, *&c.* Donavi tibi ancillam, ea lege ut intra annum eam manumitteres: Non manumiſiſti: qui ex ea poſtea naſcitur, Ingenuus erit.

b *Cum ex conſtitutione libera fuerit.* Ex ſententia Conſtitutionis Divi Marci *l. Mancipia* 8. *ff. Qui ſine manumiſſ. ad libert. perven.*

Lex XXIII. Idem lib. 1. Pandectarum.

Vulgò (a) *concepti dicuntur, qui patrem demonſtrare non poſſunt, vel qui poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet, qui &* (b) *ſpurii appellantur*, παρὰ τὴν σπορὰν. *Id eſt,* (c) *à ſatione.*

a VUlgo concepti, *&c.* Propriè vulgò concepti dicuntur, qui patrem demonſtrare non poſſunt. Hoc eſt, qui ex meretricio coitu naſcuntur. Impropriè verò etiam ii, qui poſſunt quidem patrem demonſtrare, ſed eum habent, quem habere non licet, vulgò concepti dicuntur. tex. hic, Ulpianus *infra g. Tit.* 5. *§. Si quis eam*, veluti procreati, ex cognata, vel affine.

b *Qui & ſpurii appellantur.* Quaſi ſine patre filii. Gajus *lib.* 1. *Inſtit. tit.* 4. *& Juſtinianus in §. Si adverſus ea, Inſtit.*

de

de Nuptiis, in quo. §. in meis Commentariis plenè hoc explicavi.

c *Ideſt, à ſatione.* Hæc verba in quibuſdam libris hoc loco poſita ſunt. In aliis ſunt poſita in margine.

Lex XXIV. Ulpianus lib. 22. ad Sabinum.

Lex naturæ (a) *hæc eſt, ut qui naſcitur ſine legitimo matrimonio, matrem ſequatur: niſi lex ſpecialis aliud inducat.*

a LEx *naturæ, &c.* Faciunt ad hanc legem ea, quæ extant apud Ulpianum in frag. tit. 5. Connubio interveniente, liberi ſemper patrem ſequuntur; non interveniente connubio, matris conditioni accedunt, excepto eo, qui ex peregrino & cive Romana, peregrinus naſcitur: quoniam lex Menſia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem ſequi jubet.

b *Niſi lex ſpecialis, &c.* Uti contra legitimi lege ſpeciali, matrem ſequuntur, *l. 1. §. Qui ex duobus ff. ad Municipalem.*

Lex XXV. Idem lib. 1. ad leg. Juliam & Papiam.

Ingenuum accipere debemus etiam eum, de quo ſententia lata eſt, quamvis fuerit libertinus: quia res (a) *judicata, pro veritate accipitur.*

a QUia *res judicata, &c.* Accipitur res judicata pro veritate, Interim, antequam ea juſta ex cauſa retractetur, vel nulla declaretur: Et ſic medio tempore geſta rata legitimaque ſunt. *Jac. Got. ad l. res judicata, de reg. Jur.*

Lex XXVI. Julianus lib. 69. Digeſtorum.

Qui in (a) *utero ſunt, in toto penè* (b) *Jure Civili intelligun-*

guntur in (c) *rerum natura eſſe. Nam & legitimæ hæreditates his* (d) *reſtituuntur: Et ſi mulier prægnans ab hoſtibus capta fuerit, id, quod natum erit, poſtliminium habet. Item patris* (e), *vel matris conditionem ſequitur. Præterea ſi ancilla prægnans ſubrepta fuerit: quamvis apud bonæ fidei emptorem peperit: id, quod natum erit, tanquam* (f) *furtivum uſu non capitur. His conſequens eſt, ut libertus quoque, quandiu patroni filius naſci poſſit, eo jure ſit, quo ſunt, qui patronos habent.*

a *QUi in utero ſunt, &c. Vide l. Qui in utero 7. ff. hoc eod. tit. & not. ibidem.*

b *Penè*. Quia poſthumus non ſemper eſt pro nato. Natus præteritus Teſtamentum injuſtum facit. Poſtumus non facit, *l. 3. §. Ex his apparet, ff. de Injuſto, rupto, & irrito fac. teſtam.*

c *Intelliguntur in rerum natura eſſe*. Non ut ſtatim hujus privilegii emolumentum ſentiant, ſed poſteà ubi nati fuerint.

d *His reſtituuntur*. Ubi nati fuerint, ut in præced. nota.

e *Item patris, vel matris conditionem ſequitur*. Ille reverſus. In quo autem patrem, vel matrem ſequatur, dic ut ſuprà eod. *l. Cùm legitimæ 19.*

f *Tamquàm furtivum*. Furti enim tempore fuit pars rei furtivæ.

Lex XXVII. Ulpianus lib. 5. Opinionum.

Eum (a) *qui ſe libertinum eſſe fatetur, nec adoptando patronus* (b) *ingenuum facere potuit.*

a *EUm qui, &c.* Patronus adoptando libertum, non facit eum ingenuum. Conſequitur tamen adoptatus in adoptantis familia Ingenui Jura, *l. Sciendum eſt 32. ff. de ritu nuptiarum.*

b *Nec adoptando patronus ingenuum, &c.* Natales ſoli faciunt

faciunt ingenuum, non voluntas patroni, *l. Et ſervorum* 5. *§. Ingenui ſunt ff. h. t.*

Ad Leges Tit. VI. Digeſtorum de iis, qui ſui, vel alieni Juris ſunt.

Lex Prima. Gajus lib. 1. Inſtitutionum.

De Jure (a) *perſonarum alia diviſio ſequitur: quòd* (b) *quædam perſonæ ſui juris ſunt, quædam alieno juri ſubjectæ ſunt. Videamus itaque de iis, quæ alieno Juri ſubjectæ ſunt: nam ſi* (c) *cognoverimus, quæ iſtæ perſonæ ſunt, ſimul intelligemus, quæ ſui juris ſunt. Diſpiciamus itaque de iis, quæ in aliena poteſtate ſunt.*

a DE *Jure perſonarum alia diviſio ſequitur.* Prima perſonarum diviſio, quam habuimus ſupra in *l. 3. ff. de Statu hominum*, à Jure gentium ſumpta eſt, hæc verò ad Jus Civile refertur. Igitur Jure Civili quædam perſonæ ſui Juris ſunt, quædam alieno Juri ſubjectæ, ut in *§. prox. ſeq. & in l. 3. ff. eod.* explicabitur.

b *Quædam ſui Juris ſunt, quædam alieno juri ſubjectæ ſunt.* Ratio dubitandi. Sunt quædam perſonæ, quæ nec ſui juris videntur eſſe, nec alieni: ut ſervus hæreditarius, *l. 3. ff. de Peculio.* Et filius captivi. *§. Si ab hoſtibus, Inſtit. Quib. mod. Jus poteſt. ſolv. Ratio decid.* Servus hæreditarius re vera eſt alieni Juris, cùm hæreditas defuncti perſonam ſuſtineat, *l. In eo 33. §. ult. & l. ſeq. ff. de acquir. rer. dom.* Filius verò, ex poſt facto an ſui, vel alieni Juris fuerit, apparet, *d. §. Si ab hoſtibus. ex Fab. hic in Ration.* Igitur ſi ab hoſtibus captus fuerit parens, pendet Jus liberorum, ut dicitur *in d. §.* non quia nec in patris, nec in ſua ſint poteſtate, quod eſt maximè abſurdum, *l. ult. §. Ita tamen, C. de ſentent. paſſ.* Sed quia in incerto ſunt, utrùm ſui Juris facti, an adhuc pro filiis familias computentur. Nam defuncto patre apud hoſtes, ex quo captus eſt: patresfamilias, reverſo: nunquam ſuæ

poteſtatis fuiſſe creduntur. *l. In bello* 12. *§. Si quis capiatur*, *& l. bona* 22. *§. Quod ſi filius ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.*

c *Nam ſi cognoverimus, quæ iſtæ perſonæ ſunt, ſimul intelligemus, &c.* Quicunque enim inter perſonas alieno Juri ſubjectas non ſunt, apertum eſt inter eas eſſe, quæ ſui Juris ſunt. *Theoph. in princ. Tit. Inſtit. de iis, qui ſui, vel alieni Juris ſunt.*

Ad §. Igitur in poteſtate.

Igitur in poteſtate ſunt ſervi dominorum, quæ quidem poteſtas eſt (a) *Juris gentium. Nam apud omnes peræquè gentes animadvertere poſſumus, dominis in ſervos vitæ, neciſque* (b) *poteſtatem fuiſſe: & quodcunque* (c) *per ſervum adquiritur, id domino adquiri. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui ſub Imperio Romano ſunt, licet ſupra modum, & ſine cauſa legibus cognita, in ſervos* (d) *ſuos ſævire. Nam ex* (e) *Conſtitutione Divi Antonini, qui ſine* (f) *cauſa ſervum ſuum occiderit, non minùs puniri jubetur, quàm qui* (g) *alienum ſervum occiderit. Sed & major* (h) *aſperitas dominorum, ejuſdem Principis* (i) *Conſtitutione coercetur.*

a EST *Juriſgentium*. Dominica poteſtas à Juregentium originem ſumpſit: Adeoque domini eodem Jure infinitam in ſervos poteſtatem habent, ut non ſolùm quodcunque per ſervum adquiritur, id domino adquiratur, ſed etiam dominis in ſervos vitæ neciſque poteſtas ſit. Jus tamen Civile dominorum poteſtatem limitavit, & coarctavit, ut ſequitur hic in textu.

b *Vitæ, neciſque poteſtatem fuiſſe.* Cùm enim ſuæ quiſque rei moderator ſit & arbiter, *l. In re mandata* 21. *C. Mandati*, & ſervus ſit in domini poteſtate ac dominio, conſequens eſt, ut non minùs liceat domino ſervum ſuum pro arbitrio quàm quadrupedem occidere.

c *Et quodcunque per ſervum adquiritur, &c.* Scilicèt juſtè, *l. quod ſervus* 24. *in fine ff. de acquir. vel amit. poſſeſſ.* Id enim ſo-

ſolùm acquirere dicimur, quod juſtè acquirimus.

d *In ſervos ſuos ſævire*. Hodie non licet domino ſupra modum in ſervos ſuos ſævire. Intra modum verò Jus animadvertendi in ſervos, dominis conſervatum eſt, ad coercendam nimirùm moderatè ſervorum nequitiam. *l. unica, C. de emend. ſerv. Opponitur per tex. in l. locum §. 1. ff. de Uſufructu*. Ubi dominus proprietatis dicitur habere pleniſſimam coercitionem in ſervum. Reſp. Hoc non ita intelligi debet, quaſi pro libito poſſit ſævire in ſervum, ſed quòd eandem auctoritatem, & coercitionem habeat, quam Jus tribuit habenti plenum dominium non ſeparatum ab Uſufructu.

e *Nam ex Conſtitutione Divi Antonini*. Hanc Conſtitutionem hodie non habemus.

f *Sine cauſa*. Leges non ſunt privatæ, ſed communes, itaque ex ea tantùm cauſa licebit domino ſervum occidere, ex qua id omnibus Jure communi permiſſum eſt.

g *Quàm ſi alienum ſervum occiderit*. Hoc eſt, dominus ita tenetur *l. Cornelia de Sicariis*, ac ſi alienum ſervum occidiſſet, *l. inde Neratius 23. §. Si dolo ff. ad leg. Aquil.*

h *Sed & major aſperitas dominorum*. Aſperitas ſcilicèt dominorum qui duriores ſunt, & aſperiores quàm æquum eſt. *l. 2. ff. h. t.*

i *Ejuſdem Principis Conſtitutione*. Non tamen eadem, de qua ſuprà, ſed alia.

Lex II. Ulpianus lib. 8. de Officio Proconſulis.

Si dominus in ſervos (a) *ſæviat, vel ad impudicitiam, turpemque violationem compellat, quæ ſint partes* (b) *Præſidis, ex reſcripto Divi Pii ad Ælium Mártianum Proconſulem Beticæ manifeſtatur. Cujus Reſcripti verba hæc ſunt: Dominorum quidem poteſtatem in ſervos ſuos illibatam* (c) *eſſe oportet, nec cuiquam hominum jus ſuum detrahi: ſed dominorum* (d) *intereſt, ne auxilium contra ſævitiam, vel famem, vel intolerabilem* (e) *injuriam denegetur iis, qui juſtè depre-*

cantur. Ideoque (f) *cognoſce de querelis eorum, qui ex familia Julii Sabini ad Statuam* (g) *confugerunt: & ſi vel durius habitos, quàm æquum eſt, vel infami* (h) *iniuria affectos cognoveris, venire* (i) *iube, ita ut in poteſtatem domini non revertantur. Quòd ſi meæ Conſtitutioni fraudem fecerit: ſciet me admiſſum ſeverius* (k) *executurum. Divus etiam Adrianus Umbriciam, quandam Matronam in quinquennium relegavit, quod ex leviſſimis cauſis ancillas ſuas atrociſſimè tractaſſet.*

a SI *dominus in ſervos ſæviat*. Sævitia in propriis ſervis culpanda eſt. *l. Si coſtante* 25. *§. Si maritus ff. ſoluto mat.* Vide notata ſuprà ad *l.* 1. *§.* 1. *in verbo, in ſervos ſuos ſævire ff. h. t.*

b *Præſidis*. Ideſt, moderatoris ejus Provinciæ, aut loci, in quo dominus ſævitiam adverſus ſervum exercet. Cor.

c *Illibatam*. Ideſt, non deminutam.

d *Sed dominorum intereſt, &c.* Nam aliàs ſervi fuga fortè arrepta, pretium ſui domino auferrent. Ex Theoph. in *§. Sed & maior, Inſtit. de iis, qui ſui, vel alieni Juris ſunt.*

e *Vel intolerabilem iniuriam*. Obſcenitatem, in quam eos compulerint, vel compellant, *l.* 1. *§. Quod autem, ff. de offic. Præfect. Urb.* Immo lenones domini, qui ſuis ancillis peccandi neceſſitatem imponunt, earum amittunt poteſtatem, *l. ult. Cod. de Spectacul. lib.* 11. *l. Si lenones* 13. *Cod. de Epiſcop. aud.*

f *Cognoſce*. Eſt ergo neceſſaria cognitio.

g *Ad ſtatuam confugerunt*. Statuæ enim Principum confugis ſecuritatem præbent. Qua de re eſt *Tit. in C. de his, qui ad Stat. confugiunt.*

i *Vel infami iniuria*. Dic ut ſuprà in verbo, *Vel intolerabilem iniuriam.*

i *Venire iube*. Ut juſtum pretium domino detur. *§. ult. Inſtit. de iis, qui ſui, vel alieni iur. ſunt. l. Si quis* 12. *§. Præſes ff. de relig. & ſumpt. funer.*

k *Severius executurum*. Neque ſanè quidquam antiquius

Prin-

Principi debet eſſe, quàm in legum ſuarum contemptores, ſeveriter animadvertere. Cor.

Lex III. Gajus lib. 1. Inſtitutionum.

Item in poteſtate noſtra ſunt liberi (a) *noſtri, quos ex iuſtis nuptiis* (b) *procreavimus. Quod Jus* (c) *proprium civium* (d) *Romanorum eſt.*

a Liberi noſtri. Filius, & filia, nepos, & neptis ex filio, pronepos, & proneptis ex eodem, & deinceps cæteri. *§. ult. Inſtit. de patria poteſt.*

b *Quos ex iuſtis nuptiis procreavimus.* Nati ergo ex injuſto concubitu: in poteſtate noſtra non ſunt, *§. Si adverſus ea, Inſtit. de nupt.* Sunt tamen in poteſtate noſtra ii, quos legitimamus, *§. ult. Inſtit. de nupt.* & etiam ii, quos adoptamus, *princ. Tit. Inſtit. de Adopt.*

c *Quod ius proprium civium Romanorum eſt.* Nulli enim alii ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus *§. Jus autem poteſtatis, Inſtit. de patria poteſt.* In quo §. in meis Comment. notata ſunt ea, quæ faciunt ad intelligentiam hujus noſtri textus.

d *Civium Romanorum.* Hodie in orbe Romano qui ſunt, ex Conſtitutione Divi Antonini, cives Romani effecti ſunt, *l. in Orbe Romano 17. ff. de Stat. hom.* Ideoque patria poteſtas ad omnes Chriſtianos hodie pertinet.

Lex IV. Ulpianus lib. 1. Inſtitutionum.

Nam civium Romanorum quidam ſunt patresfamiliarum, quidam filiifamiliarum: quædam matresfamiliarum, quædam filiæfamiliarum. Patres (a) *familiarum ſunt, qui ſunt ſuæ poteſtatis: ſive puberes, ſive impuberes: ſimili* (b) *modo matresfamiliarum: filiifamiliarum, & filiæ, quæ ſunt in aliena poteſtate. Nam qui ex me & uxore* (c) *mea naſcitur, in mea* (d) *poteſtate eſt: item qui* (e) *ex filio*

meo

meo & uxore eius naſcitur, ideſt, nepos meus, & neptis, æquè in mea (f) ſunt poteſtate: & pronepos, & proneptis, & deinceps (g) cæteri.

a PAtres familiarum ſunt, &c. Paterfamilias appellatur, qui in domo dominium habet, rectéque hoc nomine appellatur, quamvis filium non habeat. Non enim ſolam perſonam ejus, ſed & Jus demonſtramus. Deinde & pupillum patremfamilias appellamus. Et cùm paterfamilias moritur: quotquot capita ei ſubjecta fuerunt, ſingulas familias incipiunt habere. Singuli enim patrumfamiliarum nomen ſubeunt. Idemque evenit & in eo, qui emancipatus eſt: nam & hic ſui juris effectus, propriam familiam habet. *l. Pronunciatio* 195. *§. Pater autem familias, ff. de Verb. & rer. ſig.*

b *Simili modo matres familiarum*. Hoc eſt, matresfamiliarum ſunt, quæ ſunt ſuæ poteſtatis, ſive puberes, ſive impuberes.

c *Et uxore mea*. Qui ergo naſcitur ex injuſto concubitu: in mea poteſtate non eſt. *§. Si adverſus ea, Inſtit. de Nuptiis.*

d *In mea poteſtate eſt*. Dummodò tamen ego non ſim in poteſtate alterius. Si enim ego ſim alieno juri ſubjectus, qui ex me & uxore mea naſcitur, in mea poteſtate non erit, ſed in poteſtate ejus, cujus juri ego quoque ſubjectus ſum. Nam in ſua poteſtate alium habere non poteſt, qui non eſt ſuæ poteſtatis, *l. Sic eveniet* 21. *ff. ad leg. Jul. de adult.*

e *Item qui ex filio meo, &c.* Qui verò ex filia mea naſcitur, in poteſtate mea non eſt, ſed in poteſtate patris ejus. *§. ult. Inſtit. de patria poteſt.*

f *In mea ſunt poteſtate*. Ratio perſpicua eſt: Quia in mea familia naſcuntur, quippe cum filius nondum familiam habeat. Deinde quoniam nemo poteſt alium in ſua poteſtate habere, qui ipſe non eſt ſuæ poteſtatis, ut ſuprà diximus. At filiusfamilias eorum pater in mea poteſtate eſt.

g *Et deinceps cæteri*. Ex filio meo deſcendentes.

Lex

Lex V. Idem lib. 36. ad edictum.

Nepotes (a) *ex filio, mortuo avo, recidere ſolent in filii poteſtatem, hoc eſt, patris ſui. Simili modo & pronepotes, & deinceps, vel in filii poteſtatem, ſi vivit, & in familia* (b) *manſit: vel in eius parentis, qui ante eos in poteſtate eſt. Et hoc non tantum in* (c) *naturalibus, verùm quoque in adoptivis iuris eſt.*

a NEpotes *ex filio*. Nepotes ex filio, ſi moriente avo pater eorum vivit,& in poteſtate patris ſui eſt: poſt obitum avi in poteſtate patris ſui fiunt. Si verò is, quo tempore avus moritur, aut jàm mortuus eſt, aut exiit de poteſtate patris: tunc ii, quia in poteſtatem ejus cadere non poſſunt, ſui juris fiunt. *princ. tit. Inſtit. Quibus mod. ius pot. ſol.* Si tamen filius per dignitatem exiviſſet de poteſtate patris: recidunt nepotes poſt mortem avi in poteſtatem patris ſui. Novella 81. cap. 2.

b *Et in familia manſit*. Et nunquam exiit de poteſtate patris ſui. *l. Si pater filium* 41. *ff. de adopt.*

c *In naturalibus*. Et legitimis ſimul.

d *In adoptivis*. Nam filiosfamilias non ſolùm natura, verùm & adoptiones faciunt, *l.* 1. *ff. de adopt.* Si quis ergo nepotem, quaſi ex filio natum, quem in poteſtate habet, conſentiente filio adoptaverit: poſt mortem avi quaſi in patris ſui poteſtatem recidit, *l. Si quis nepotem* 10. *ff. de adop.*

Lex VI. Idem lib. 9. ad Sabinum.

Filium (a) *eum definimus, qui ex viro, & uxore eius naſcitur. Sed ſi fingamus abfuiſſe maritum (verbi gratia) per decennium: reverſum anniculum inveniſſe in domo ſua: placet nobis Juliani ſententia, hunc* (b) *non eſſe mariti filium. Non tamen ferendum Julianus ait eum, qui cum uxore ſua aſſiduè moratus, nolit filium agnoſcere, quaſi non ſuum. Sed*

mihi

mihi videtur (quod & Scævola probat) ſi conſtet maritum aliquandiu cum uxore non concubuiſſe, infirmitate interveniente, vel alia cauſa: veluti ſi ea valetudine paterfamiliaſ fuit, ut generare non poſſet: hunc qui in domo natus eſt, licèt vicinis ſcientibus, filium non eſſe.

a F*Ilium ejus deſinimus*, &c. Præſumptio hæc verius, quàm probatio eſt. Contra eam tamen ea tantùm admittitur probatio, quæ ſit concludens, ut in caſibus hac lege expreſſis.

b *Hunc non eſſe mariti filium*. Quis enim dubitet, an puer anniculus poſſit eſſe filius ejus mariti, qui decem annis abfuit? Nihilominùs opponunt DD. per text. *in l.* 1. §. *Idem Julianus ff. de liber. agnoſc.* Quæ tamen lex non obſtat, ſi ejus contextus rectè legatur, ut notavit Lælius Taurellus, quem ſecutus eſt Ant. Aug. lib. 1. *Emendat.* cap. 9. Sic igitur in ea legendum eſt: Cæterùm eſſe ſatis injurioſum ait, ſi quis longo tempore abſuerit, & reverſus, uxorem prægnantem invenerit, & idcirco rejecerit: Si quid ex his, quæ Senatus Conſulto continentur, omiſerit: ſuum hæredem ei naſci.

Lex VII. Idem lib. 25. ad Sabinum.

Si qua (a) *pœna pater fuerit affectus, ut vel civitatem* (b) *amittat, vel ſervus* (c) *pœnæ efficiatur: ſine dubio nepos filii loco ſuccedit.*

a S*I qua pœna*, &c. Nepos ſuccedit loco filii, qui vel civitatem amiſit, vel ſervus pœnæ factus fuit. h. d.

b *Civitatem amittat.* Is, qui ob aliquod maleficium in inſulam deportatur, civitatem amittit. §. *Cùm autem*, *Inſtit. Quib. mod. jus pot. ſol.* Plura maleficia, ob quæ in Inſulam quis deportatur, videre potes in *tit. Inſtit. de Pub. Jud.* §. *Item lex Cornelia de falſis, cum* §§. *ſeqq.*

c *Vel ſervus pœnæ efficiatur.* Servi pœnæ efficiuntur, qui

in

in metallum damnantur, & qui beſtiis ſubjiciuntur. §. *Pœnæ ſervus*, *Inſt. Quib. mod. Jus pot. ſol.* Et pœnæ ſervi dicuntur, quia nullius planè niſi ſupplicii ſervi ſunt, *l. Quidam ſunt* 17. *ff. de pœnis l.* 3. *ff. de iis, quæ pro non ſcript. hab.* Sed Jure noviſſimo nemo Ingenuus ex ſupplicio fit ſervus. *A. de nupt. cap.* 2. §. *Quod autem*.

Lex VIII. Idem lib. 16. ad Sabinum.

Patre (a) *furioſo, liberi nihilominus in patris ſui* (b) *poteſtate ſunt. Idem & in omnibus eſt parentibus, qui habent liberos in poteſtate, nam cùm Jus poteſtatis moribus* (c) *ſit receptum, nec poſſit deſinere quis habere in poteſtate, niſi exierint liberi, quibus caſibus* (d) *ſolent: nequaquam dubitandum eſt, remanere eos in poteſtate. Quare non ſolùm eos liberos in poteſtate habebit, quos ante furorem genuit: verùm & ſi qui ante furorem concepti, in furore editi ſunt. Sed & ſi in furore agente eo, uxor concipiat: videndum, an in poteſtate ejus naſcatur filius, nam furioſus licèt uxorem ducere* (e) *non poſſit, retinere tamen matrimonium poteſt, quod cùm ita ſe habeat, in poteſtate filium habebit. Proinde & ſi furioſa ſit uxor, ex ea antè conceptus, in poteſtate naſcetur, ſed & in furore ejus conceptus ab eo, qui non furebat, ſine dubio in poteſtate naſcitur: quia retinetur matrimonium. Sed & ſi ambo in furore agant & uxor & maritus, & tunc concipiat: partus in poteſtate patris naſcetur, quaſi voluntatis reliquiis in furioſis manentibus, nam cùm conſiſtat matrimonium altero furente, conſiſtet & utroque. Adeò autem retinet Jus poteſtatis pater furioſus, ut & acquiratur illi commodum ejus, quod filius* (f) *acquiſivit*.

a *Patre furioſo*. Furor eſt mentis ad omnia cæcitas. Cic. *Tuſcul. Quæſt.* lib. 3.

b *In patris ſui poteſtate ſunt*. Sine patris tamen interventu poſſunt matrimonium contrahere, *princ. Tit. Inſtit. de Nuptiis*. Et tàm dos, quàm propter nuptias donatio æſtimatione Magiſtratus, vel Epiſcopi Civitatis ſtatuenda eſt, præſente curatore furioſi, & præſentibus his, qui ex furioſi

genere nobiliores ſunt, *l. Si furioſi 25. Cod. de nupt. l. Tam dementis 23. Cod. de Epiſcop. aud.*

c *Moribus ſit receptum. Vide not. ſup. ad l. 3. h. t.*

d *Quibus caſibus ſolent.* Inter quos caſus non eſt furor; ut conſtat ex toto *Tit. Inſtit. Quibus mod. Jus pot. ſol.*

e *Licèt uxorem ducere non poſſit, &c. l. Oratione 16. in fine ff. de ritu nuptiarum.*

f *Quod filius acquiſivit.* Ipſo jure. Si eſſet opus aliquo facto, ut in hæreditatis aditione, aliud eſſet. *l. Cùm hæres 52. ff. de acquir. vel omitt. hæred.*

Lex IX. Pomponius lib. 16. ad Quintum Mutium.

Filiusfamilias (a) *in publicis cauſis loco patrisfamilias habetur: veluti, ut Magiſtratum gerat, ut tutor* (b) *detur.*

a F*iliusfamilias, &c.* In publicis cauſis parentum Jura interquieſcunt. Gellius lib. 2. cap. 2.

b *Ut tutor detur.* Ex hac lege apparet, quod Tutela publicum munus dicitur, quod etiam confirmatur ex *princ. tit. Inſtit. de excuſ. tut. vel cur. & ex l. non tantùm 17. §. eos ff. eod.* Nihilominus verè Tutela eſt munus privatum. Eſt enim Tutela de re privata, & familiari pupillorum, & domo eorundem concluditur. Non inficior eam eſſe pro utilitate publica, quod publicè omnium interſit pupillos tueri, ac defendere, *l. 2. §. Divus, ff. Qui pet. tut.* Sed principaliter privatum munus eſt, per conſequentias publicum. Vide Cujac. *ad l. 6. colum. 4. ff. de excuſat.* Et nota Curationem eodem modo publicum munus dici. Aliter tamen hanc rem explicat Ant. Fab. *in Juriſprud. Papin. Scientia ad Tit. 24. de Excuſat. Tutor. princ. 1.*

Lex X. Ulpianus lib. 4. ad legem Juliam & Papiam.

Si Judex (a) *nutriri, vel ali oportere* (b) *pronunciaverit: dicendum eſt de veritate* (c) *quærendum, filius ſit, an non:*

neque

neque enim alimentorum cauſa veritati facit præjudicium.

a SI *Judex, &c. l. Si quis à liberis 5. §. Meminiſſe, ff. de liber. agnoſc.*

b *Pronunciaverit*. Summatim. In cauſa enim alimentorum proceditur ſummariè. *d. l. 5. §. Si vel parens.*

c *Dicendum eſt de veritate quærendum, filius, ſit an non.* Nec enim hoc pronunciatum fuit, filium eſſe, ſed ali debere. *dict. §. Meminiſſe*. Pronunciatio de jure filii exigit pleniſſimam cauſæ cognitionem, quam non exigit pronunciatio de alimentis, ut jam ſuprà dictum eſt.

Lex XI. Modeſtinus lib. 1. Pandectarum.

Inviti filii (a) *naturales, vel emancipati non rediguntur in patriam poteſtatem.*

a INviti *filii naturales, &c.* Filii naturales hoc loco ſunt, qui in ſervitute quæſiti ſunt, ut in pleriſque aliis Pandectarum locis, & ii etiam in poteſtate redigi dicuntur propriè, licèt in ea nunc primùm eſſe cœperint, nec fuerint unquam anteà. *l. ult. ff. de adopt. Cujac. Obſervat. lib.* 10. *cap.* 23. Ratio autem quare filii naturales, vel emancipati non rediguntur inviti in patriam poteſtatem; eſt quia Jus ſui hæredis non ſolùm honor, ſed etiam onus eſt: ideoque requirit conſenſum omnium quorum intereſt. *§. Sed ſi quis, Inſtit. de adopt. ex Fab.*

DIGESTORUM
LIBER PRIMUS.

De Adoptionibus (a) *& Emancipationibus, & aliis modis, quibus poteſtas ſolvitur.*

TITULUS SEPTIMUS.

Lex Prima. Modeſtinus lib. 2. Regularum.

Filiosfamilias (b) *non ſolùm natura, verùm &* (c) *adoptiones faciunt. Quòd adoptionis nomen eſt quidem generale, in duas autem ſpecies dividitur: quarum altera adoptio* (d) *ſimiliter dicitur: altera adrogatio. Adoptantur filiifamilias: adrogantur, qui ſui juris ſunt.*

a *De Adoptionibus.* Adoptio naturæ ſimilitudo eſt, ut aliquis filium habere poſſit, quem non generavit. *Gajus lib. 5. Inſtit. Tit. 5.*

b *Filiosfamilias non ſolùm natura, &c. Princ. Tit. Inſtit. de Adopt.*

c *Verùm & adoptiones faciunt.* Hodie tamen hoc procedit cum diſtinctione, de qua in §. *Sed hodie, Inſtit. de adoption.*

d *Adoptio ſimiliter dicitur.* Retento ſcilicèt nomine generis, ut in cognatione quatenus opponitur agnationi.

Lex II. Gajus lib. 1. Inſtitutionum.

Generalis (a) *enim adoptio, duobus modis fit, aut* (b) *Principis authoritate, aut Magiſtratus* (c) *Imperio. Principis authoritate adoptamus* (d) *eos, qui ſui* (e) *juris ſunt.*

quæ

quæ ſpecies adoptionis dicitur adrogatio: (f) *quia & is, qui adoptat rogatur, ideſt, interrogatur* (g), *an velit eum, quem adoptaturus ſit, iuſtum ſibi filium eſſe*: *& is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur*. *Imperio Magiſtratus adoptamus eos, qui in poteſtate parentis ſunt*: *ſive primum gradum liberorum obtineant, qualis eſt filius, filia*: *ſive inferiorem, qualis eſt nepos, neptis, pronepos, proneptis*.

a GEneralis enim adoptio,&c. Adoptio in genere ſumpta dividitur in adoptionem in ſpecie,& arrogationem. Hæc fit Principis authoritate, illa verò Magiſtratus Imperio, ut ſequitur hic in textu.

b *Aut Principis authoritate*. Olim arrogatio per populi rogationem fiebat. *Gellius lib. 5. cap. 19. Gaius lib. 2. Inſtit. Tit. 3.* Poſt conceſſum verò Imperium à Populo Principi, arrogationes ex reſcripto Principali fieri cœperunt, *l. Arrogationes 6. Cod. de adopt.*

c *Aut magiſtratus Imperio*. Prætoris, Præſidis Provinciæ, Proconſulis. *§. In plurimis, & ibi Theoph. Inſt. de adopt.* Imperium autem hîc (ut aliàs in Jure ſæpè) publicam illam vim, poteſtatem, & authoritatem, quæ eſt apud Magiſtratum, ſignificat. Cor. hic.

d *Adoptamus eos*. Eaſúe. *§. Adoptio, Inſtit. de Adopt.* Nam & fœminæ ex reſcripto Principis adrogari poſſunt, *l. Nam & fœminæ 21. ff. de adopt.* Per Populum Romanum fœminæ quidem non adrogabantur, *Vlp. in frag. Tit. 8. §. Per Prætorem*. Cauſa illa erat, quia nulla cum fœminis comitiorum communio erat. *Gell. lib. 5. cap. 19.*

e *Qui ſui iuris ſunt*. Qui ſui juris ſunt, per arrogationem poteſtati adrogatoris ſubjiciuntur. *§. Illud proprium eſt, Inſtit. de Adopt.*

f *Dicitur arrogatio*: *quia & is, &c. Gaius Inſtit. lib. 1. tit. 5.* Vel quia olim per populi rogationem fiebat. *Gellius d. lib. 5. cap. 19.*

g *Ideſt, interrogatur, &c.* Non tamen hæc interroga-

tio,

tio, quæ intervenit in adrogatione, ſtipulatio eſt. *Cuiac. Obſervat. lib. 9. cap. 37.*

Ad §. Illud utriuſque.

Illud utriuſque adoptionis commune eſt, quòd & ii, qui (a) *generare non poſſunt, quales ſunt ſpadones* (d), *adoptare* (c) *poſſunt: caſtrati* (d) *autem non* (e) *poſſunt.*

a *Qui generare non poſſunt.* Planius ſic dictum fuiſſet: Qui propter vitium quoddam, quòd tamen ſanabile eſt, generare non poſſunt.

b *Spadones.* Hoc loco ſpadones ſunt, qui propter vitium aliquod aut frigiditatem membrorum genitalium, liberis operam dare non poſſunt, ſed eo ſublato, liberos ſuſcipere poſſunt. *Theoph. ad §. Sed & illud, Inſtit. de adopt.* Spado igitur ille, de quo in noſtro §. adrogando, ſuum hæredem ſibi adſciſcere poteſt: nec ei corporale vitium impedimento eſt, *l. adrogato 40. §. ult. ff. h. t.*

c *Adoptare poſſunt.* Quoniam ſperare poſſunt fore, ut vitio, quo tenentur, ceſſante, liberos poſſint procreare.

d *Caſtrati.* Caſtrati ſunt, quibus execta ſunt membra virilia. Theoph. ubi ſuprà.

e *Non poſſunt.* Quia ſperare non poſſunt, ut liberis unquam dent operam.

Ad §. Hoc verò.

Hoc verò proprium eſt ejus (a) *adoptionis, quæ per Principem fit, quòd is, qui liberos in poteſtate habet, ſi ſe adrogandum dederit: non ſolùm* (b) *ipſe poteſtati adrogatoris ſubjiciatur, ſed etiam* (c) *liberi ejus in ejuſdem fiunt poteſtate, tamquam nepotes.*

a *Ejus adoptionis, quæ per Principem fit.* Hoc eſt adrogationis. Adrogatio enim per reſcriptum Principis fit.

b *Non*

b *Non ſolùm ipſe*. Omnia etiam, quæ ejus fuerunt, & adquiri poſſunt, tacito jure ad eum tranſeunt, qui adrogavit, *l. Si paterfamilias 15. ff. h. t.* Et hæc adrogatori antea quidem pleno Jure adquirebantur: nunc autem quoad uſumfructum tantùm adquiruntur eidem. *§. 1. Inſtit. de adquiſ. per arrog.*

c *Sed etiam liberi ejus, &c.* Adrogato patrefamilias, liberi, qui in ejus erant poteſtate, nepotes apud adrogatorem efficiuntur: ſimulque cum ſuo patre in ejus recidunt poteſtatē. *l. adrogato 40. in princ. ff. h. t.* Sic enim Divus Auguſtus non antea Tiberium adoptavit, quàm is Germanicum adoptaſſet: ut protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Auguſti nepos eſſe. *§. Illud proprium, Inſtit. de Adop.*

Lex III. Paulus lib. 4. ad Sabinum.

Si Conſul, vel Præſes, filiusfamilias ſit, poſſe eum (a) *apud ſemetipſum, vel emancipari, vel in adoptionem dari conſtat.*

a POſſe *eum apud ſemetipſum, &c.* Subſtantia enim adoptionis, & emancipationis pendet ex voluntate adoptantis & ejus qui adoptatur, emancipantis & ejus qui emancipatur. Præſentia Magiſtratus requiritur dumtaxat ad ſolemnitatem. In iis verò, quæ ſtatuuntur inter litigantes, Judex idoneus non eſt Magiſtratus ſibi.

Lex IV. Modeſtinus lib. 2. Regularum.

Magiſtratum (a), *apud quem legis actio eſt, & emancipare filios ſuos, & in adoptione dare apud* (b) *ſe poſſe, Neratii ſententia eſt.*

a MAgiſtratum, *apud quem legis actio eſt*. Hoc eſt, apud quem actus legitimi expediri poſſunt. Is eſt v. g. Conſul, vel Præſes. *l. 3. h. t.* Igitur legis actio legitimos actus ſignificat, de quibus vide in *l. Actus legitimi 77. ff. de reg. Jur.*

Jur. Et legis actiones ſolemnitatem Juris deſiderant; & fiunt certis conceptiſque verbis. Sed hodie verba ſolemnia, licèt non dicantur; ut dicta accipiuntur, *l. Manumiſſiones* 23. *ff. de manumiſs. vindic.*

b *Apud ſe poſſe.* Quia & detracto quoque Magiſtratu, & emancipare filios ſuos, & in adoptionem dare poteſt.

Lex V. Celſus lib. 28. Digeſtorum.

In (a) *adoptionibus, eorum duntaxat, qui ſuæ poteſtatis ſunt, voluntas* (b) *exploratur. Sin autem à patre dantur in adoptionem: in iis utriuſque arbitrium ſpectandum eſt, vel conſentiendo, vel non* (c) *contradicendo.*

a IN *adoptionibus, &c.* Ideſt, in arrogationibus.
b *Voluntas exploratur.* Expreſſus conſenſus.

c *Vel non contradicendo.* Sufficit enim ad validitatem adoptionis, eum, qui à patre in adoptionem datur, voluntati patris non contradicere.

Lex VI. Paulus lib. 35. ad Edictum.

Cùm (a) *nepos adoptatur, quaſi ex filio natus: conſenſus filii exigitur, idque etiam Julianus ſcribit.*

a CUM *nepos, &c.* Si quis nepotis loco adoptet, vel quaſi ex eo filio quem habet jam adoptatum, vel quaſi ex illo quem naturalem in ſua poteſtate habet: in eo caſu, & filius conſentire debet, ne ei invito ſuus hæres adgnaſcatur. *§. Sed ſi quis Inſtit. de adop.* Igitur filius conſentire debet, non ut adoptio valeat, ſed ut avo, qui adoptavit, mortuo, nepos incipiat eſſe filio ſuus hæres, *l. Si is qui filium* 11. *ff. de adop. Pac. in Analy. Inſtit. in d. §. Sed ſi quis, & Legum Concil. Cent.* 7. *qu.*86.

Lex VII. Celſus lib. 39. Digeſtorum.

Cùm adoptio fit, non eſt (a) *neceſſaria in eam rem auctoritas eorum, inter* (b) *quos jura* (c) *adgnationis conſequuntur.*

a NOn eſt neceſſaria, &c. Ratio dub. Intereſt omnium agnatorum, quibus per adoptionem ut agnatus ita legitimus hæres acquiritur, *l. Qui in adoptionem* 23. *h. t.* Ratio dec. Non ideo conſenſus eorum neceſſarius eſt, ſed illorum dumtaxat, qui ex adoptione ſuum hæredem ſunt habituri, *l. Cùm nepos* 6. *& l. Si is qui* 11. *h. t.* Agnatum enim hæredem nemo invitus habet, cùm poſſit teſtamento eum excludere. At ſuum hæredem habet quis, ut invitum, ita invitus: cùm non poſſit eum exhæredere, niſi ex certis cauſis, *l. ult. ff. de bon. dam. l. In ſuis* 11. *ff. de liber. & poſt. Ex Fabro in Rational. ad noſtram legem.*

b *Inter quos &c.* De quibus vide *l. Qui in adoptionem* 23. *ff. h. t.*

c *Conſequuntur.* Ideſt, non niſi per conſequentias acquiruntur. Nempe quia per adoptionem id dumtaxat agitur principaliter, ut filiusfamilias quis fiat, ut vero fiat agnatus omnibus, qui ſunt in familia, non agitur, ſed fit in conſequentiam neceſſariam. *Fab. in Juriſp. Pap. Scien. Tit* 10. *princ.* 1. *Illat.* 21.

Lex VIII. Modeſtinus lib. 2. Regularum.

Quod, (a) *ne curatoris auctoritas intercederet in adrogatione, antè tenuerat, ſub divo Claudio rectè mutatum eſt.*

a QUod, ne curatoris auctoritas, &c. Curatoris auctoritas intercedere debet in adrogatione, *Quod Fab. in Juriſp. Pap. Scien. Tit.* 10. *princ.* 1. *Illat.* 11. Sic intelligit: Sive minor annis 25. habens curatorem adrogare vellet, ſive dare ſe adrogandum.

b *Rectè mutatum eſt. Facit l.ult.in fin.C. de auctorit.præſt.*

Lex IX. Ulpianus lib. 1. ad Sabinum.

Etiam (a) *cæcus adoptare, vel adoptari poteſt.*

a ETiam *cæcus, &c.* Cæcus adoptare, vel adoptari poteſt. Quia nimirum, & filiusfamilias eſſe, & filiumfamilias habere perinde poteſt, ac ſi cæcus non eſſet, nec tam corporis, quam animi oculis eget is qui vel adoptat, vel adoptatur, ut nihil ſine maturo conſilio judicioque faciat. *Fab. ubi ſup. Illat. 9.*

Lex X. Paulus lib. 2. ad Sabinum.

Si quis (a) *nepotem, quaſi ex filio natum, quem in poteſtate habet, conſentiente filio adoptaverit: non adgnaſcitur* (b) *avo ſuus hęres: quippe cùm poſt mortem avi quaſi in* (c) *patris ſui recidit poteſtatem.*

a SI *quis nepotem, &c.* Si quis conſentiente filio, quem in poteſtate habet, aliquem in nepotis locum adoptet, perinde atque ex eo filio natum: In nepotem adoptatus non adgnaſcitur avo ſuus hęres: quoniam poſt mortem avi, in poteſtatem patris recidit. *h. d.*

b *Non adgnaſcitur avo ſuus hęres.* Ideſt, non fit ſuus hęres avo. Nam ſuus hęres eſt, quem nemo in gradu pręcedit. *§. Sui autem, Inſtit. de hęred. qual. & differ. & §. Sui autem, Inſtit. de hęred. quæ ab inteſt. defer.*

c *Quaſi in patris, &c.* Ideſt, in poteſtatem ejus, qui eſt quaſi pater, *l. Nepotes 5. in fine ff. de iis, qui ſui, vel alieni juris ſunt. Accurſ. hic.*

Lex XI. Idem lib. 4. ad Sabinum.

Si is, (a) *qui filium haberet, in nepotis locum adoptaſſet, perinde*

inde atque ſi ex eo filio natus eſſet: & is filius auctor factus non eſſet: mortuo avo, non eſſe nepotem in poteſtate filii.

a SI is, *qui filium, &c.* Cùm quis nepotis loco adoptatur, quaſi ex filio natus: conſenſus filii exigitur, ut avo qui adoptavit, mortuo, nepos incipiat eſſe in poteſtate filii. Vide notata ſuprà ad *l. 6. h. t.*

Lex XII. Ulpianus lib. 14. ad Sabinum.

Qui liberatus eſt patria poteſtate, is poſteà in poteſtatem honeſtè (a) *reverti non poteſt, niſi adoptione.*

a IN *poteſtatem honeſtè reverti non poteſt, niſi adoptione.* Nam ob ingratitudinem, citra adoptionem, in patriam poteſtatem revertitur: ſed non honeſtè. *l. Unica C. de Ingrat. liber.* In fine hujus legis in quibuſdam libris additur: Sed ſi ſemel fuerit adoptatus, amplius adoptari non poteſt. Quod tamen non extat in Pand. Flor.

Lex XIII. Papinianus lib. 36. quæſtionum.

In omni (a) *ferè* (b) *Jure, finita patris adoptivi poteſtate, nullum ex priſtino retinetur veſtigium. Denique & patria dignitas quæſita per adoptionem, finita ea,* (c) *deponitur.*

a IN *omni, &c.* Finita adoptione, finiuntur omnia jura provenientia ex ea. Bart.

b *Ferè.* Benè dicit, ferè. Quia etiam poſt emancipationem, nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eum, qui emancipavit, & emancipatam *l. Quin etiam ſſ. in princ. ff. de ritu nupt.*

c *Finita ea, deponitur.* Nam patria dignitas quæſita fuerat per adoptionem: Finita igitur adoptione per emancipationem, neceſſariò deponitur. Civilis enim ratio ci-

vilia Jura corrumpere facilè poteſt *§.ult.Inſtit.de legit.agnat. tut. l. eas obligationes 8. ff. de capit. demin. ex Fab.*

Lex XIV. Pomponinus lib. 5. ad Sabinum.

Sed etiam (a) *nepos ex filio apud adoptatum* (b) *patrem conceptus & natus, per emancipationem* (c) *Jura omnia* (d) *perdit.*

a SEd etiam nepos, &c. Nepos ex adoptivo filio conceptùs apud avum, & natus, per emancipationem omnia Jura perdit.

b *Apud adoptatum.* In aliis legitur: apud adoptivum.

c *Per emancipationem.* Scilicèt ſui ipſius, Nec enim, emancipato filio adoptivo, exit de poteſtate nepos ex eo. Sic etiam eſt in naturali, ut infrà *eod. l. liberum 28. ex. gl. hic.*

d *Jura omnia perdit.* Ut ſuprà l. prox.

Lex XV. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

Si paterfamilias (a) *adoptatus ſit: omnia,* (b) *quæ ejus fuerunt, & adquiri poſſunt, tacito jure ad eum tranſeunt, qui adoptavit. Hoc amplius,* (c) *liberi ejus, qui in poteſtate ſunt, eum ſequuntur, ſed & hi, qui poſtliminio* (d) *redeunt, vel qui in utero fuerunt cùm adrogaretur, ſimili modo in poteſtatem adrogatoris rediguntur.*

a SI paterfamilias adoptatus ſit. Ideſt, arrogatus ſit.

b *Omnia, quæ ejus fuerunt, &c.* Et hæc arrogatori anteà quidẽ pleno jure adquirebãtur. Nunc autẽ quoad uſumfrutũ tantùm adquirũtur eidem. *§. 1. Inſt. de acquis per arrog.*

c *Hoc ampliùs liberi ejus, &c. Vide not. ſuprà ad §. ult. l. 2. h. t. In Verbo, ſed etiam liberi ejus.*

d *Qui poſtliminio redeunt, vel qui in utero fuerunt, &c.* Quia retro finguntur, & jam nati, & in poteſtate eo tempore fuiſſe.

Ad

Ad §. Qui duos.

Qui duos filios, & ex altero eorum nepotem habet: ſi vult nepotem quaſi ex altero natum ſic (a) *adoptare: poteſt hoc efficere, ſi eum emancipaverit, & ſic adoptaverit quaſi ex altero natum. Facit enim hoc quaſi* (b) *quilibet, non quaſi avus, & qua ratione quaſi ex quolibet natum poteſt adoptare, ita poteſt & quaſi ex altero filio.*

a *Sic. In Pand. Flor. eſt Sic. In vulg. deeſt.*

b *Quaſi quilibet.* Ideſt, quaſi extraneus. Cum eſſe desierit nepos emancipatione.

Ad §. In adrogationibus.

In adrogationibus (a) *cognitio vertitur, num fortè* (b) *minor ſexaginta annis ſit, qui adrogat: quia magis liberorum creationi ſtudere debeat: niſi fortè morbus, aut valetudo in cauſa ſit, aut alia juſta cauſa adrogandi: veluti ſi conjunctam ſibi perſonam velit adoptare. Item non debet quis plures adrogare, niſi ex juſta cauſa. Sed nec libertum* (c) *alienum, neque majorem minor.*

a *In adrogationibus, &c.* In adrogationibus excutiendum eſt, cujus ætatis ſit is, qui vult adrogare: ut æſtimetur, an melius ſit de liberis procreandis eum cogitare, quàm ex aliena familia quemquam redigere in poteſtatem ſuam, *l. nec ei 17. §. & primùm quidem ff. h. t.*

b *Num fortè minor ſexaginta annis, &c.* Non facilè minori ſexaginta annis permittenda eſt adrogatio, quia magis liberorum procreationi ſtudere debet, ad replendam liberis Civitatem. Majori ſexaginta annis permittuntur adrogandi facultas, quia potentiam generandi ad id tempus emarceſcere Phyſici tradunt, *Ariſtot. l. 1. de gener. cap. 18. Galen. de tuend. ſanit. l. 2.*

c *Sed nec libertum alienum.* Sine patroni conſenſu: ne patrono fiat injuria.

d *Ne-*

d *Neque majorem minor*. Minorem natu, majorem non poſſe adoptare, placet. Adoptio enim naturam imitatur: & pro monſtro eſt, ut major ſit filius, quam pater. Debet itaque is, qui ſibi filium per adoptionem, vel adrogationem facit, plena pubertate, ideſt, decem, & octo annis præcedere *§. minorem natu, Inſtit. de adop. l. adoptio* 16. *& l. adrogato* 40. *§. non tantùm ff. h. t. Vide not. infra ad dict. §. Non tantùm*.

Lex XVI. Javolenus lib. 6. ex Caſſio.

Adoptio enim in his perſonis locum habet, in quibus etiam (a) *natura poteſt habere*.

a IN *quibus etiam natura, &c.* Nam adoptio naturam imitatur. *§. Minorem natu, Inſt. de adop.* Hinc fit ut minor natu, majorem adoptare non poſſit, ut ſuprà fuit explicatum *in ult. not. ad præced. legem*. Item ut caſtrati adoptare non poſſint, ſpadones autem poſſint *§. Sed & illud, Inſt. de adop. Pro cujus §. intelligentia vide nota in meis Comment. Inſt. ibid. & ſup. ad l. 2. h. t. ad §. Illud utriuſque*.

Lex XVII. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

Nec ei (a) *permittitur adrogare, qui tutelam, vel curam alicuius* (b) *adminiſtravit, ſi minor* (c) 25. *annis ſit, qui adrogatur: Ne fortè eum ideò adroget, ne rationes reddat. Item inquirendum eſt, ne forte turpis cauſa adrogandi ſubſit*.

a NEc *ei permittitur adrogare, qui tutelam, &c.* Imperator tamen Titus Antoninus reſcripſit, privignum ſuum tutori adoptare permittendum, *l. nonnunquam* 32. *ff. h. t.* In qua lege aſſignabo rationem hujus permiſſionis.

b *Alicujus*. Quem vult adrogare.

c *Si minor 25. annis ſit*. Imò nec poſt 25. annum ætatis intra annum utilem, etiamſi rationes reddiderit, quoniam adhuc intra annum impetrata reſtitutione, rationes retractari poſſunt. Et hodie intra quadriennium, quoniam annus utilis mutatus eſt in quadriennium continuum, *l. ult. C. de temp. integ. reſt. Ex Cujac. de diverſ. temp. præſc. cap. 29.*

d *Ne fortè turpis cauſa*. Aut non idonea, *l. 3. C. de adopt.*

Ad §. Eorum dumtaxat.

Eorum (a) *dumtaxat pupillorum adrogatio permittenda eſt iis, qui vel naturali cognatione, vel ſanctiſſima affectione ducti adoptarent: cæterorum probibenda, ne eſſet in poteſtate tutorum, & finire tutelam, & ſubſtitutionem à parente factam extinguere.*

a EOrum *dumtaxat*, *&c.* In nonnullis exemplaribus legitur: Iis dumtaxat pupillorum adrogatio permittenda eſt, qui vel naturali cognatione, &c.

b *Ne eſſet in poteſtate tutorum*, *&c.* Ne eſſet in poteſtate tutorum colludere cum iis qui adrogare deſiderant, atque ita per adrogationem finire tutelam, ſeque ab ejus onere liberare.

c *Et finire tutelam*. Pupilli enim adrogatione finitur tutela. *§. Item finitur Inſt. Quib. mod. tut. fin.* Nam adrogatus tranſit in poteſtatem adrogatoris, & conſequenter filiusfamilias factus, in tutela eſſe non poteſt. *Princ. Tit. Inſtit de Tutelis.*

d *Et ſubſtitutionem à patre factam extinguere*. Extingueretur ſubſtitutio à patre facta, quoniam pupillaris ſubſtitutio à patre facta Teſtamentum filii eſſe dicitur. *§. Igitur, Inſtit. de pupill. ſubſt.* Et capitis deminutione etiam minima Teſtamentum infirmatur. *§. Alio, Inſtit. Quib. mod. teſt. infir. Ex. gl. hic.*

Ad

Ad §. Et primùm quidem.

Et primùm quidem (a) *excutiendum erit, quæ facultates pupilli ſint, & quæ eius, qui adoptare eum velit: ut æſtimetur ex comparatione earum, an ſalubris adoptio poſſit pupillo intelligi. Deinde cujus vitæ ſit is, qui velit pupillum redigere in familiam ſuam. Tertiò, cujus idem* (b) *ætatis ſit: ut æſtimetur an melius ſit de liberis procreandis cogitare eum, quàm ex aliena familia quemquam redigere in poteſtatem ſuam. Prætereà videndum eſt, an non debeat permitti ei, qui vel unum habebit, vel plures liberos, adoptare alium: ne aut illorum, quos iuſtis nuptiis procreavit, deminuatur ſpes, quam unuſquiſque liberorum obſequio paret ſibi: aut qui adoptatus fuit, minus percipiat, quàm dignum erit eum conſequi. Interdum & ditiorem* (c) *permittetur adoptare pauperiori, ſi vitæ eius ſobrietas clara ſit, vel affectio honeſta, nec incognita. Satiſdatio* (d) *autem in his caſibus dari ſolet.*

a *ET primùm quidem excutiendum erit, &c.* In his ergo quatuor cauſæ cognitio potiſſimum vertitur: Quænam ſint facultates adrogatoris, Quæ vita, Quæ ætas, Qui liberi. Primum, ut adrogatio ſit utilis pupillo. Secundum, ut ſit honeſta. Tertium, ne ſit inutilis Reipublicæ & damnoſa. Quartum, ne juſtis liberis ſit injurioſa. Ex Fab. hic.

b *Tertiò cuius idem ætatis ſit, &c. Vide ſupra l. 15. §. In adrogationibus, cum ibidem à me notatis h. t.*

c *Interdum & ditiorem permittetur adoptare pauperiori, &c.* Plus enim facit ad fidem clara vitæ ſobrietas, vel adfectio honeſta, nec incognita, quàm facultates, *l. Scire oportet 21. §. penult. ff. de Tut. & cur. dat. &c. §. ult. Inſtit. de ſuſpect. tut. & cur.*

d *Satiſdactio autem in his caſibus dari ſolet.* Idoneis fidejuſſoribus datis, *l. 2. Cod. de adop.* Quæ ſatiſdatio ſi omiſſa fuerit: utilis actio in adrogatorem datur, *l. his verbis 19. ff. h. t.*

ff. h. t. De hac ſatiſdatione pleniùs videbimus in duabus legibus prox. ſeq.

Lex XVIII. Marcellus lib. 26. Digeſtorum.

Non aliter enim voluntati ejus, qui adrogare pupillum volet, ſi cauſam (a) *eius ob alia probabit, ſubſcribendum erit, quàm ſi* (b) *caverit ſervo* (c) *publico, ſe reſtituturum* (d) *ea, quæ ex bonis eius conſecutus fuerit, illis,* (e) *ad quos res perventura eſſet, ſi adrogatus* (f) *permanſiſſet in ſuo ſtatu.*

a SI *cauſam ejus ob alia probabit*. De his, quæ ſunt probanda ab eo, qui vult adrogare pupillum, *vide l.* 17. *§. Et primùm quidem, cum ibi not. h. t.*

b *Si caverit*. Idoneis fidejuſſoribus datis, ut notavi in fine præced. legis.

c *Servo publico*. Hoc eſt, Tabulario: *§. Cùm autem impubes, & ibi Theoph. Inſtit. de adop.*

d *Se reſtituturum ea, &c.* Si intra pubertatem pupillus deceſſerit. *d. §. Cùm autem impubes, Inſtit. de adop. l. hac autem* 20. *ff. h. t.*

e *Illis ad quos res perventura eſſet. In d. §. Cùm autem impubes*, legitur: Illis, qui ad ſucceſſionem ejus venturi eſſent. Et in l. prox. ſeq. additur, quod his verbis ſatiſdationis, ad quos ea res pertinet, & libertatibus proſpectum eſſe, quæ ſecundis Tabulis datæ ſunt, & multò magis ſubſtituto ſervo, item legatariis, nemo dubitat.

f *Si adrogatus permanſiſſet in ſuo ſtatu*. Si adoptio facta non eſſet. *d. §. Cùm autem impubes.*

Lex XIX. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

His verbis ſatiſdationis, quæ ab adrogatore præſtari debet, Ad quos (a) *ea res pertinet, & libertatibus proſpectum eſſe, quæ ſecundis tabulis datæ ſunt, & multò magis ſubſtituto ſervo, item legatariis, nemo dubitat. quæ ſatisdatio ſi*

omiſſa fuerit : utilis actio in adrogatorem datur.

a AD *quos ea res pertinet. Vide ſuprà in penult. not. præced. legis.*

b *In adrogatorem.* Et etiam in ipſius hæredem. *l. Si adrogatur 22. ff. h. t.*

Lex XX. Marcellus lib. 26. Digeſtorum.

Hæc autem ſatiſdactio locum habet, ſi impubes (a) *deceſſit. Sed etſi de pupillo loquitur: tamen hoc etiam in pupilla* (b) *obſervandum eſt.*

a SI *impubes deceſſit.* Hæc ſatiſdatio ultra pubertatem non fuit producta, nam pubertate finitur ſubſtitutio pupillaris. *§. Qua ratione, Inſt. de pupill. ſubſt.* Et ſi impubes non fuiſſet adrogatus, potuiſſet pubes jam factus, facto teſtamento, venientes ab inteſtato excludere. *§. Cùm ergo, Inſtit. Qui & quib. ex cauſ. manumitt. non poſs.*

b *Etiam in pupilla.* Nam maſculinum, fœmininum continet. *l. Qui duos 62. in fine ff. de legat. 3.*

Lex XXI. Gajus lib. ſingulari regularum.

Nam & fœminæ (a) *ex reſcripto Principis adrogari poſſunt.*

a NAm *& fœminæ, &c.* Per Populum Romanum, fœminæ non adrogabantur, *Ulp. in frag. tit. 8. §. per Prætorem.* Cauſa illa erat, quia nulla cum fœminis commitiorum communio erat. Gell. lib. 5. cap. 19.

Lex XXII. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

Si adrogator deceſſerit, impubere relicto filio adoptivo, &

mox

mox impubes decedat : an hæredes adrogatoris teneantur? Et dicendum eſt, hæredes quoque reſtituturos & bona (a) *adrogati, & præterea* (b) *quartam partem.*

a ET *bona adrogati*. Ex ſatiſdactione ab adrogatore præſtita, hæredes adrogatoris tenentur reſtituere bona adrogati impuberis poſteà decedentis, illis, ad quos perventura erant, ſi adoptio facta non fuiſſet. Eſt enim regulare in obligationibus ex contractu venientibus, quod in hæredes dantur. *l. Ex contractibus* 48. *ff. de act. & oblig.*

b *Et præterea quartam partem*. Bonorum adrogatoris ex Conſtitutione Divi Pii. *l. Papinianus* 8. *§. Si quis impubes ff. de inoffic. teſt. l.* 2. *C. de adop.*

Ad §. Sed an impuberi.

Sed, an impuberi (a) *adrogator ſubſtituere poſſit, quæritur: Et puto non admitti ſubſtitutionem, niſi fortè ad quartam* (b) *ſolam, quam ex bonis ejus conſequitur: & hactenus, ut ei uſque ad pubertatem ſubſtituat. Cæterùm ſi fidei* (c) *ejus committat, ut quandoque reſtituat: non oportet admitti fideicommiſſum: quia hoc non judicio ejus ad eum pervenerit, ſed Principali providentia.*

a SEd, *an impuberi adrogator, &c.* In adrogato impubere dicimus, ad pupillariter ſubſtitutum ejus ab adrogatore datum, non debere pertinere ea, quæ haberet, ſi adrogatus non eſſet: ſed ea ſola, quæ ipſe ei dedit adrogator. Quartam tamen, quam omnimodò ex reſcripto Divi Pii debuit ei relinquere, ſubſtitutus habere poteſt: & etiam id, quod beneficio adrogatoris adquiſivit adrogatus: ut puta ſi adrogatoris amicus, vel cognatus ei aliquid reliquit. *l. Sed ſi plures* 10. *§. In adrogato ff. de Vulg. & pupill. ſubſt.*

b *Niſi fortè ad quartam ſolam*. Verba hæc excludunt bona propria adrogati, in quibus adrogator ſubſtituere

nonpoteſt: non excludunt autem alia bona, quæ adrogator reliquit pupillo: quia in his quoque bonis conſtat ſubſtituere eum poſſe ex dictis in præcedenti nota.

c *Cæterum ſi fidei ejus committat, &c.* Si adrogator fidei impuberis adrogati committat, ut quandoque reſtituat Quartam ei debitam ex Reſcripto Divi Pii: non oportet admitti fideicommiſſum: quia hoc non judicio adrogatoris ad arrogatum pervenerit, ſed Principali providentia.

Ad §. Hæc omnia.

Hæc omnia dicenda ſunt, ſive in locum filii (a), *ſive in locum nepotis aliquis impuberem adrogaverit.*

a *SIve in locum filii, ſive in locum nepotis.* Eadem enim ratio eſt ſuccurrendi ei, qui in locum nepotis adrogatur, ac ei, qui adrogatur in locum filii, quia uterque eorum æquè amittit familiam & bona ſua omnia in favorem adrogatoris.

Lex XXIII. Paulus lib. 35. ad Edictum.

Qui in adoptionem (a) *datur, his, quibus adgnaſcitur, & cognatus fit* (b): *quibus verò non adgnaſcitur, nec cognatus fit adoptio enim, non jus ſanguinis* (c), *ſed ius adgnationis adfert: & ideò ſi filium adoptaverim, uxor mea illi matris loco non eſt: neque enim adgnaſcitur ei, propter quod nec cognata eius fit. Item nec mater mea aviæ loco illi eſt: quoniam his, qui extra familiam meam ſunt, non adgnaſcitur. Sed filiæ meæ is, quem adoptavi, frater fit: quoniam in familia mea eſt filia: nuptiis tamen* (d) *etiam eorum prohibitis.*

a *QUi in adoptionem, &c.* Quando & quibus hodie adgnaſcatur qui in adoptionem datur. Vide in §. *Sed hodie, Inſtit. de adopt.*

b *Et cognatus fit. l.1. §. Cognationem ff. Unde cog.* Et fit cognatus legitimus, ſeu Jure Civili, *l. Nō facilè 4. §. 2. ff. de gradib.*

c *Non*

c *Non jus ſanguinis*. Jus ſanguinis, jus cognationis naturalis ſignificat.

d *Nuptiis tamen etiam eorum prohibitis*. Inter filium meum adoptivum, & eam, quæ mihi fuit uxor, nuptiæ prohibentur, etiam per emancipationem diſſoluta adoptione, *l. adoptivus 14. in princ. ff. de ritu nup.* Sed inter eum, & matrem meam prohibentur dumtaxat, ſi in familia mea ſit: alioquin ſi emancipatus fuerit à me ſine dubio nihil impedit nuptias, *l. Quin etiam 55. §. patris ff. de ritu nup.* Et ſimiliter inter eum, & filiam meam prohibentur dumtaxat conſtante adoptione *§. Inter eas, Inſtit. de Nuptiis*.

Lex XXIV. Ulpianus lib. 1. Diſputationum.

Neque abſens, (a) neque diſſentiens adrogari (b) poteſt.

a NEque abſens. Nam in adrogatione adrogati voluntas exploranda eſt, *l. In adoptionibus 5. ff. h. t.* Et adrogatio eſt actus ſolemnis, quem per alium peragere quis non poteſt, *l. Poſt mortem 24. §. ult ff. eod.*

b *Adrogari*. Neque adrogare, *d. l. poſt mortem 25. § ult.*

Lex XXV. Idem lib. 5. Opinionum.

Poſt mortem (a) filiæ ſuæ, quæ ut materfamilias, quaſi jure emancipata, vixerat, & teſtamento ſcriptis hæredibus deceſſit: adverſus factum ſuum, quaſi non jure eam, nec præſentibus teſtibus emancipaſſet, pater movere controverſiam prohibetur.

a POſt mortem filiæ ſuæ, &c. Emancipatio filiorum poteſt quidem impugnari etiam à patre ipſo, *l. 2. C. Si adverſ. rem jud.* ſed non poſt mortem filiæ, quam paſſus eſt vivere, & mori quaſi Jure emancipatam: quia ſibi debet imputare, cur non moverit eam quæſtionem filiæ viventi, quæ cauſam ſuam tueri potuiſſet melius. *Faber ad noſtram legem in rationibus.*

Ad

Ad §. Neque adoptare.

Neque adoptare, nec adrogare (a) *quis abſens*, (b) *nec per alium* (c) *ejuſmodi ſolemnitatem peragere poteſt*.

a NEc *adrogare*. Nec adrogari. *l. Neque abſens* 24. *ff. h. t.*

b *Quis abſens*. Is, qui adoptat, rogatur, ideſt, interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus ſit, juſtum ſibi filium eſſe: & is qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur; *l.* 2. *ff. h. t.* Qui porro abſens eſt rogari non poteſt.

c *Nec per alium*, &c. Actus enim legitimi, & ſolemnes per alium fieri non poſſunt.

Lex XXVI. Julianus lib. 7. Digeſtorum.

Quem filius (a) *meus emancipatus adoptaverit, is meus nepos non erit*.

a QUem *filius meus*, &c. Adoptatus à filio meo emancipato, non eſt nepos meus h.d. Nam filius meus emancipatus, non eſt mihi filius Jure Civili, & conſequenter adoptatus ab eo, non poteſt Jure Civili eſſe mihi nepos.

Lex XXVII. Idem lib. 85. Digeſtorum.

Ex adoptivo (a) *natus, adoptivi locum* (b) *obtinet Jure Civili*.

a EX *adoptivo natus*. Poſt adoptionem.

b *Adoptivi locum obtinet*. Quaſi adoptivus, vel pro adoptivo, & loco adoptivi habetur. Quapropter in Jure Civili, & legibus, quod de adoptivo ſtatuitur, in quaſi adoptivo locum habebit. *Baro hic*.

Lex XXVIII. Gajus lib. 1. Inſtitutionum.

Liberum arbitrium (a) *eſt ei, qui filium, & ex eo nepotem in poteſtate habebit, filium quidem* (b) *poteſtate demittere, nepotem vero in poteſtatem retinere; vel ex diverſo, filium quidem in poteſtate retinere, nepotem verò manu mittere:* (c) *vel omnes ſui juris efficere. Eadem & de pronepote dicta eſſe intelligemus.*

a LIberum arbitrium eſt ei, qui filium, &c.* Non tamen permiſſum eſt parentibus liberos invitos de poteſtate demittere. *Novella* 89. *cap.* 3. *§. Generaliter*. Ex cauſis tamen, propter quas poſſunt liberi à parentibus exhæredari, poterunt etiam inviti emancipari. *Mynſ. ad §. ult. Inſtit. Quib. mod. jus pot. ſol. ſub. num.* 4. Quæ cauſæ numerantur in A. *Ut cum de appell. cog. cap.* 3. Et etiam poterit filius invitus emancipari, ſi agnoverit legatum contemplatione emancipationis ſibi relictum, *ut not. in addit. ad gl. ult. d. §. ult. Inſt. Quib. mod. Jus poſt. ſol.*

b *Filium quidem poteſtate demittere, &c.* Si pater, filium, ex quo nepos illi eſt in poteſtate, emancipaverit, & poſteà eum adoptaverit: mortuo eo, nepos in patris poteſtatem non revertitur, *l. Si pater filium* 41. *ff. de adop.*

c *Nepotem verò manu mittere*. Quare parentes, qui liberos de poteſtate dimittunt dicantur eos manu mittere, *vide in meis Comment. Inſt. ad §. Præterea, Quib. mod. Jus poſt. ſol.*

Lex XXIX. Caliſtratus lib. 2. Inſtitutionum.

Si pater naturalis loqui quidem non poſſit, alio tamen modo, quàm ſermone, manifeſtum facere poſſit, velle ſe filium ſuum in adoptionem dare: perinde (a) *confirmatur adoptio, ac ſi jure facta eſſet.*

a PErinde confirmatur adoptio, ac ſi jure facta eſſet.* Igitur hæc adoptio Jure, ſeu more ſolemni, facta

non

non eſt : ſed perinde confirmatur ac ſi Jure facta eſſet. Et confirmatur à Principe, *l. Adoptio 38. ff. h. t.* Non enim poteſt videri Jure facta quæ deſtituta eſt ſuis ſolemnitatibus, intèr quas una illa olim fuit, quæ etiam num ſupereſt, ut verbis opus eſſet ad declarandam voluntatem ex parte, tam ejus, qui in adoptionem daret, quàm ejus, qui in adoptionem acciperet, non tamen ex parte ejus, qui in adoptionem datur. Hunc enim ſufficiebat olim, & hodie ſufficit non eſſe contradicentem, *l. ult. C. h. t. l. etiam infantem 42. ff. eod. Fab. in Juriſp. Pap. Scientia, Tit. 10. princ. 4. Illat. 4.*

Lex XXX. Paulus lib. 1. Regularum.

Et qui uxores (a) *non habent, filios adoptare poſſunt.*

a ET *qui uxores, &c.* Et qui uxores non habent, filios adoptare poſſunt. Adoptio enim in his perſonis locum habet, in quibus & natura poteſt habere, *l. adoptio 16. ff. h. t.* Nullum autem impedimentum eſt quo minus per rerum naturam poſſint, & qui uxores non habent liberos ſperare.

Lex XXXI. Marcianus lib. 5. Regularum.

Non poteſt filius, (a) *qui eſt in poteſtate patris ullo modo compellere eum, ne ſit in poteſtate: ſive naturalis ſive adoptivus.*

a NOn *poteſt filius, &c.* Neque naturales liberi, neque adoptivi ullo penè modo poſſunt cogere parentes, de poteſtate ſua eos dimittere *§. ult. Inſt. Quib. mod. jus pot. ſol. In quo §. additur dictio illa (penè)* Quoniam certis caſibus pater liberos ſuos emancipare compellitur. Quos caſus videte in meis *Comment. Inſtit. ad d. §. ult.* E' contra filii inviti non poſſunt à parentibus emancipari. *Novella 89. cap. 3. §. Generaliter.* Niſi ex certis cauſis notatis ſuprà *ad legem 28. h. t.*

Lex

Lex XXXII. Papinianus lib. 31. Quæſtionum.

Nonnunquam autem (a) *impubes, qui adoptatus eſt audiendus erit, ſi pubes factus emancipari deſideret: idque cauſa cognita per Judicem ſtatuendum erit.*

§. *Imperator Titus* (b) *Antoninus reſcripſit privignum ſuum Tutori adoptare permittendum.*

Lex XXXIII. Martianus lib. 5. Regularum.

Et, ſi pubes factus, non expedire ſibi in poteſtatem ejus redigi probaverit: æquum eſt emancipari eum à patre adoptivo, atque ita priſtinum jus recuperare.

a NOnnunquam autem impubes, &c. Similiter, ſi quis minor 25. annis adrogandum ſe dederit, & in ipſa adrogatione ſe circumventum dicat: (finge enim à prædone eum hominem locupletem adrogatum) dico debere eum audiri, in integrum ſe reſtitui volentem, *l.* 3. *§. Si quis minor ff. de minoribus.*

b *Imperator Titus Antoninus, &c.* Tutori non eſt permittenda adrogatio pupilli ſui, *l. Nec eis* 17. *ff. h. t.* Imperator tamen Titus Antoninus reſcripſit, privignum ſuum Tutori adoptare permittendum, *l. Nonnunquam* 32. *§. ult. ff. h. t.* Quoniam eſt veriſimile vitricum affectione ſancta moveri ad privignum eundemque pupillum ſuum adrogandum. *Cujac. Obſervat. lib.* 2. *cap.* 38. Enim verò, ſi pubes factus privignus, non expedire ſibi adrogationem vitrici probaverit: æquum eſt emancipari eum à patre adoptivo, atque ita priſtinum jus recuperare, *l. Et ſi pubes* 33. *ff. h. t.*

c *In poteſtatem ejus redigi.* Redigi in poteſtatem ait eum, qui nunquam ante in poteſtate fuit: ut redigi in ſcripturam mores, & redigi in poteſtatem hoſtes dicimus. *Ex Barone hic.*

Lex XXXIV. Paulus lib. 11. Quæſtionum.

Quæſitum (a) *eſt: Si tibi filius in adoptionem hac lege ſit datus, ut poſt triennium (puta) eundem mihi in adoptionem des, an actio ulla ſit? & Labeo putat nullam eſſe* (b) *actionem, nec enim moribus* (c) *noſtris convenit, filium temporalem habere.*

a Q*uæſitum eſt*. Aliàs incipit: Si tibi.
b *Nullam eſſe actionem*. Quoniam actus legitimi, inter quos adoptio eſt, diem non recipiunt, *l. Actus legitimi 77. ff. de reg. Jur.* Et adoptio naturam imitatur *l. adoptio 16. ff. h. t.* Per naturam autem non poteſt quis fieri filius ad tempus.

c *Nec enim moribus noſtris, &c.* Ex hoc loco apparet, Jus adoptionis moribus Populi Romani fuiſſe introductum.

Lex XXXV. Idem lib. 1. Reſponſorum.

Per adoptionem dignitas (a) *non minuitur, ſed augetur. Unde Senator, & ſi à plebejo adoptatus eſt, manet Senator. Similiter manet & Senatoris filius.*

a P*Er adoptionem dignitas non minuitur, &c. Facit l. 6. ff. de Senator.* Ubi dicitur, quod à Senatore in adoptionem filius datus ei, qui inferioris dignitatis eſt, quaſi Senatoris filius videtur eſſe. E' contra Senatoris filius eſt & is, quem Senator in adoptionem accepit: quandiu tamen in familia ejus manet. Emancipatus verò nomen filii emancipatione amittit, *d. l. 6.*

Lex XXXVI. Idem lib. 18. Reſponſorum.

Emancipari (a) *filium à patre quocunque loco poſſe conſtat, ut exeat de patria poteſtate,*

§. *Apud Proconſulem* (b) *etiam in ea Provincia, quam ſortibus*

non

non eſt, & manumitti, & in adoptionem dari poſſe placet.

a EMancipari, &c. Emancipari, & in adoptionem dari poteſt filius à patre quocunque loco apud Magiſtratum. h. d. Et ratio eſt, quia non ſunt actus iſti contentioſæ Juriſdictionis, ſed voluntariæ, *l.2.ff. de Offic. Proc.*

b *Apud Proconſulem etiam in ea provincia, &c.* Omnes proconſules ſtatim, quàm urbem egreſſi fuerint, habent Juriſdictionem: non contentioſam, ſed voluntariam: ut ecce manumitti apud eos poſſunt tam liberi, quàm ſervi, & adoptiones fieri *d.l.2.ff. de Offic. Proconſ.* Et etiam apud alterius Provinciæ Præſidem hi Actus peragi poſſunt, *l. etiam conditionis* 15. *in fine ff. de manumiſſ. vindic.*

Lex XXXVII. Idem lib. 2. Sententiarum.

Adoptare quis nepotis loco poteſt, etiamſi filium (a) *non habet.*
§. Eum, quem quis (b) *adoptavit, emancipatum, vel in adoptionem datum, iterum non poteſt* (c) *adoptare.*

a ETiamſi filium non habet. Quia ſufficit eum natura poſſe habere filium, & ex eo nepotem: In adoptionibus enim ſpectatur naturalis facultas, & potentia, non actus. *§. Sed & illud, Inſtit. de adop.* Unde & qui uxorem non habent, filios adoptare poſſũt *l. Et qui uxorem* 30. *ff. h.t.* Sufficit enim quòd natura uxorẽ habere, & ex ea filios ſuſcipere poſſint.

b *Eum, quem quis adoptavit, &c.* Filium verò naturalem emancipatum, vel in adoptionem datum, poteſt naturalis pater adoptare. *l. Qui liberatus* 12. *l. ſi pater filium* 41. *ff. h.t.*

c *Iterum non poteſt adoptare.* Nempe quia ſicuti nemo per naturam bis naſcitur in ejuſdem patris poteſtate, ita nec per adoptionem fieri poteſt ut ejuſdem patris filiusfamilias bis fiat, cùm adoptio naturam imitetur, *l. adoptio* 16. *ff. h.t. Fab. In Juriſp. Pap. Scientia. Tit.* 10. *princ.* 1. *Illat.* 23. Et etiam hoc prohibetur patri adoptivo, ne ludibrio leges ei fiant, ſæpius ejuſdem perſonæ adoptionem & facere, & diſſolvere cupienti, *l. ult. §. Non autem filio C. de bonis, quæ liberis.*

Lex XXXVIII. Marcellus lib. 26. Digeſtorum.

Adoptio non Jure (a) facta, à Principe confirmari poteſt.

Lex XXXIX. Ulpianus lib. 3. de Officio Conſulis.

Nam ita Divus Marcus Eutychiano reſcripſit: Quod deſideras, an impetrare debeas: æſtimabunt Judices, (a) adhibitis etiam iis, qui contradicerent: ideſt, qui læderentur confirmatione adoptionis.

a *Adoptio non jure facta.* Non ſolemniter facta. Vide notata ſuprà ad *l. Si pater 29. ff. h. t.*

b *Æſtimabunt Judices, adhibitis etiam iis, &c.* Ex hoc loco apparet, quod licèt adoptio ſit Actus voluntariæ Juriſdictionis, *l. 2. ff. de offic. proconſ.* adoptionis tamen confirmatio contentioſa eſt, cùm exigat cauſæ cognitionem: quę porro plena eſſe non poteſt, niſi præſentibus, aut ſaltem evocatis iis, qui læderentur confirmatione adoptionis. *Ex Fab. in Rat.*

Lex LX. Modeſtinus lib. 1. Differentiarum.

Adrogato (a) paterfamilias, liberi, qui in ejus erant poteſtate, nepotes apud adrogatorem efficiuntur: ſimùlque cum ſuo patre in ejus recidunt poteſtatem. Quod non ſimiliter in adoptione contingit: nam nepotes ex eo, in avi naturalis retinentur poteſtate.

a *Adrogato paterfamilias, &c.* Adrogationis proprium eſt, quod is, qui liberos in poteſtate habet, ſi ſe adrogandum dederit: non ſolùm ipſe poteſtati adrogatoris ſubjicitur, ſed etiam liberi ejus in ejuſdem fiunt poteſtate, tamquam nepotes. *§. Illud proprium eſt, Inſtit. de adop. l. 2. §. Hoc verò, ff. h. t.* Ubi hæc fuerunt plenè explicata.

Ad §. Non tantùm.

Non tantùm cùm quis adoptat, ſed & cùm adrogat, maior (a) *eſſe debet eo, quem ſibi per adrogationem, vel per adoptionem filium facit, & utique plenæ pubertatis: ideſt, decem & octo* (b) *annis, eum præcedere debet.*

a MAior debet eſſe eo, &c. Minorem natu, majorem non poſſe adoptare, placet. Adoptio enim naturam imitatur: & pro monſtro eſt, ut major ſit filius, quàm pater. *§. Minorem natu, Inſt. de adop.*

b *Decem & octo annis*. Cujac. tamen in dict. *§. Minorem natu*, exiſtimat fœminam quatuordecim tantùm annis majorem eſſe debere eo, quem ſibi per adrogationem vel per adoptionem filium facit, ut quemadmodum maturius biennio fœminæ pubeſcunt, ita etiam maturius biennio plenam pubertatem adipiſcantur. Juvatur hæc ſententia per tex. in *l. Mela* 14. *ff. de aliment. & cib. leg.*

Ad §. Spado.

Spado (a) *adrogando, ſuum hæredem ſibi adſciſcere poteſt: nec ei corporale vitium impedimento eſt.*

a SPado, &c. Hoc loco Spado eſt, qui propter vitium aliquod aut frigiditatem membrorum genitalium, liberis operam dare non poteſt, ſed eo ſublato, liberos ſuſcipere poteſt. Vide notata ſuprà ad *l.* 2. *§. Illud utriuſque ff. h. t.*

Lex XLI. Idem lib. 2. Regularum.

Si pater filium, ex quo nepos illi eſt in poteſtate, emancipaverit, & poſtea eum adoptaverit: mortuo eo, nepos in patris poteſtatem (a) *non revertitur* (b). *Nec is nepos in patris poteſtatem*

ſtatem revertitur, quem avus retinuerat filio dato (c) *in adoptionem, quem denuo* (d) *readoptavit.*

a NEpos in patris poteſtatem non revertitur. Quia filius per emancipationem familiam amiſerit, & quaſi quilibet extraneus in eam familiam deinde per adoptionem redierit. Igitur in hoc filio nihil intuetur Jus Civile, niſi quod ſit filiusfamilias per adoptionem.

b *Non revertirur.* Non recidit.

c *Filio dato in adoptionem.* Nam cùm datio in adoptionem non fieret olim ſine emancipatione, *l. ult. C. h. t.* Nihil intereſt an patria poteſtas ſolvatur per adoptionem, an per emancipationem. *Faber hic in Rational.*

d *Quem denuo readoptavit.* Quem poſt emancipationem adoptavit.

Lex XLII. Idem lib. 1. Pandectarum.

Etiam infantem (a) *in adoptionem dare* (b) *poſſumus.*

a ETiam infantem, *&c.* Infans ex eo appellatur, quòd fari non poſſit. Eſt autem receptum, ut ne fari quis poſſe videatur ante ſeptimum annum, quoniam etſi ante ſeptimum annum pueri loquantur, non tamen intelligunt ante quid loquantur, & ideò infans in Jure Civilis eſt is qui minor ſeptennio eſt, *l.* 1. *§.* 1. *ff. de adminiſt. tut. l. Si infanti* 18. *C. de Jur. deliber. Ex Cujac.*

b *In adoptionem dare poſſumus.* Etiam infantem in adoptionem dare poſſumus. Non eſt enim affectus qui vincat paternum. *l. ult. in princ. C. de curat. fur.* Et conſequenter pater, qui dat infantem in adoptionem, optimè filio proſpicere velle creditur.

Lex XLIII. Pomponius lib. 21. ad Q. Mutium.

Adoptiones non ſolùm filiorum, ſed & quaſi (a) *nepotum fiunt: ut*

ut aliquis noſter nepos eſſe videatur, perinde quaſi (b) *ex filio, vel incerto natus ſit.*

a SEd *& quaſi nepotum. l. Adoptare 37. ff. h. t. §. licet autem, Inſtit. de adopt.*

b *Perinde quaſi ex filio. Vide l. 6. 10. & 11. cum ibid. Notatis ſuprà h. t.*

c *Vel incerto.* Filio.

Lex XLIV. Proculus lib. 8. Epiſtolarum.

Si is, qui nepotem (a) *ex filio habet, in nepotis loco aliquem adoptavit: non puto, mortuo avo, jura conſanguinitatis inter nepotes futura eſſe. Sed ſi ſic adoptavit, ut etiam jure legis* (b) *nepos ſuus eſſet, quaſi ex Lucio (puta) filio ſuo, & ex matrefamilias ejus natus eſſet: contra puto.*

a SI *is, qui nepotem, &c.* Si is, qui nepotem ex filio habet, in nepotis loco aliquem ſimpliciter adoptavit: mortuo avo, Jura conſanguinitatis inter nepotes non erunt: Sed ſi in loco nepotis aliquem adoptavit, tamquam ex illo eodem filio, ex quo eſt nepos naturalis, aliud erit. *h. d.*

b *Jure legis.* Rectè, Jure legis, ad differentiam alterius nepotis qui non tantùm legis, ſed etiam naturæ jure nepos eſt eidem avo, ut proinde nil neceſſe ſit cum Duareno locum emendare, ac legere, Jure legeque. *Fab. in Juriſp. Pap. Scientia, tit. 10. Princ. 1. Illat. 15.*

Lex XLV. Paulus lib. 3. ad legem Juliam, & Papiam.

Onera (a) *ejus, qui in adoptionem datus eſt, ad patrem* (b) *adoptivum transferuntur.*

a ONera *ejus, &c.* Pro eo quod is debuit, qui ſe in adoptionem dedit, ipſo quidem jure adrogator

non tenetur, ſed nomine filii convenietur: & ſi noluerit eum defendere, permittitur creditoribus per competentes Magiſtratus, bona, quæ ejus cum uſufructu futura fuiſſent, ſi ſe alieno juri non ſubjeciſſet, poſſidere, & legitimo modo ea diſponere. *§. ult. Inſtit. de adquiſ. per adrog.*

b *Ad patrem adoptivum transferuntur*. Adrogatus autem tenetur actione in ſolidum ex edicto de capite minutis *l. 2. §. 1. ff. de capit. demin. Cujac. ad §. ult. Inſtit. de adquiſ. per adrog.*

Lex XLVI. Ulpianus lib. 4. ad legem Juliam, & Papiam.

In ſervitute mea (a) *quæſitus mihi filius, in poteſtatem meam* (b) *redigi beneficio Principis poteſt: libertinum* (c) *tamen eum manere non dubitatur.*

a *In ſervitute mea quæſitus mihi filius*. Ex contubernio. Servi enim Jure Civili inter ſe juſtas nuptias non contrahunt, ſed contubernium. *l. 3. Cod. de Inceſt. nup.*

b *In poteſtatem meam redigi, &c.* Voluntatem tamen filii intervenire oportet. *l. ult. ff. de his qui ſui vel al. Jur. ſunt.* Ubi notavi ea, quæ faciunt ad pleniorem intelligentiam hujus loci.

c *Libertinum tamen eum manere non dubitatur*. Noviſſimè tamen Juſtinianus manumiſſos omnes Ingenuos eſſe voluit, non libertinos: ſalvo tamen manumiſſoribus in manumiſſos Jure patronatus. Novella 78.

DIGE-

DIGESTORUM
LIBER PRIMUS.

De diviſione rerum, & qualitate.

TITULUS OCTAVUS.

Lex Prima. Gajus lib. 2. Inſtitutionum.

Summa (a) *rerum diviſio in duos articulos deducitur, nam aliæ ſunt divini iuris, aliæ humani. Divini iuris ſunt: veluti res* (b) *ſacræ, & religioſæ* (c) . *Sanctæ* (d) *quoque res, veluti muri* (e), *& portæ* (f), *quodammodo* (g) *divini iuris ſunt. Quod autem divini iuris* (h) *eſt, id nullius in bonis eſt: id verò, quod humani iuris eſt, plerumque alicuius in bonis eſt: poteſt autem & nullius in bonis eſſe: nam res hæreditariæ, antequam aliquis hæres exiſtat: nullius* (i) *in bonis ſunt. Hæ autem res, quæ humani iuris ſunt, aut publicæ* (k) *ſunt, aut privatæ. quæ publicæ ſunt, nullius* (l) *in bonis eſſe creduntur: ipſius enim univerſitatis eſſe creduntur. Privatæ autem ſunt, quæ ſingulorum ſunt.*

a *Summa rerum diviſio*. Hoc eſt, prima, præcipua, & principalis rerum diviſio.

b *Veluti res ſacræ*. De rebus ſacris videbimus infrà ad *l. In tantum 6. §. Sacræ autem ff. h. t.*

c *Et religioſæ*. De rebus religioſis dicetur infrà ad *d. l. 6. §. Religioſum*.

d *Sanctæ quoque res, &c.* Quæ propriè dicantur ſancta, videbimus ad *l. Sacra 9. §. propriè ff. h. t.*

e *Veluti muri*. *l. Sanctum 8. in fine ff. h. t.*

f *Et portæ*. Aliàs in textu additur: Civitatum.

g *Quodammodo divini Juris ſunt*. Hoc eſt, aliquo modo, ſeu impropriè, quaſi diceret: Sanctæ res verè non ſunt divini Juris, ſed aliquo reſpectu divini Juris dici poſſunt: quemadmodum enim res, quæ divini Juris ſunt, violari nequeunt, ita nec ſanctæ. Vide in meis Comment. *Inſtit. ad §. Sanctæ, de rer. diviſ.*

h *Quod autem divini iuris eſt, id nullius in bonis eſt*. Res, quæ ſunt divini juris, ita nullius ſunt, ut nec ullius fieri poſſint. §. 1. *Inſtit. de Inutil. ſtip.* Res autem prophanæ, quæ nullius ſunt, veluti res communes, & res hæreditariæ, antequam aliquis hæres exiſtat, alicujus fieri poſſunt. Ideoque verè ea tantùm dicuntur nullius, quæ divini Juris ſunt.

i *Nullius in bonis ſunt*. Creditum tamen eſt hæreditatem dominam eſſe, & defuncti locum obtinere, *l. Non minus* 31. *in fine ff. de hæred. inſtit.* Per fictionem ſcilicèt Juris Civilis. Cæterùm re vera, quod eſt hæreditarium in nullius bonis eſt, *l.* 3. *in princ. ff. de pecul.*

k *Aut Publicæ ſunt*. Hoc loco publici appellatio, & communes omnium hominum res, & populorum ſingulorum complectitur.

l *Nullius in bonis eſſe creduntur*. Ideſt, nullius privati: Sunt enim populi alicujus, vel omnium.

Ad §. Quædam prætereà.

Quædam præterea res corporales ſunt, quædam incorporales. Corporales eæ ſunt, quæ tangi (a) *poſſunt, veluti fundus, homo, veſtis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles. Incorporales ſunt, quæ tangi* (b) *non poſſunt: qualia ſunt ea, quæ in iure conſiſtunt: ſicut hæreditas, uſusfructus, obligationes quoquomodo contractæ. Nec ad rem pertinet, quod in hæreditate* (d) *res corporales continentur. Nam & fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales ſunt: & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerum-*

que

que (c) *corporale eſt: veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipſum ius ſucceſſionis, & ipſum ius utendi fruendi, & ipſum ius obligationis, incorporale eſt. Eodem numero ſunt & Jura prædiorum urbanorum, & ruſticorum: quæ etiam ſervitutes* (f) *vocantur.*

a QVÆ *tangi poſſunt.* Sui natura *princ. tit. Inſt. de reb. corp. & incorp.* Ideſt, quæ aptæ ſunt ſui natura ut tangi poſſint. Nam rem, quæ eſt in profundo maris, tangere non poſſumus, & tamen eſt corporalis. *gl. hic.*

b *Quæ tangi non poſſunt.* Quæ tangi demonſtrarive non poſſunt, ſed intellectu comprehenduntur: ut ſi uſucapionem, ſi tutelam, ſi gentem, ſi adgnationem definias. *Vide in meis Comment. Inſtit. in Tit. de rebus corp. & incorp.*

c *Ea, quæ in iure conſiſtunt: ſicut hæreditas, &c.* Hæreditas, uſufructus, uſus, obligationes, & res ſimiles, in jure conſiſtere dicuntur à Jure Conſultis: quaſi dicant non per ſe conſiſtere, ſed Juris Conſtitutione. Ex Barone.

d *Quod in hæreditate res corporales continentur.* Et ità res hæreditariæ, ſeu corpora, quæ in patrimonio defuncti reperiuntur, aliud ſunt ab ipſa hæreditate, quæ propriè demonſtrat Jus univerſum quod defunctus habuit. Cor.

e *Plerumque corporale eſt.* Plerumque dixit Juriſconſultus, quoniam interdum incorporale eſt, quod ex obligatione nobis debetur. Veluti ſi Uſusfructus, Uſus, Habitatio, aut alia ſervitùs debita ſit.

f *Quæ etiam ſervitutes vocantur.* Jura prædiorum etiam ſervitutes vocantur: ita tamen ut Jura vim agendi, ſervitutes patiendi ſignificationem habeant.

Lex II. Marcianus lib. 3. Inſtitutionum.

Quædam naturali (a) *iure communia* (b) *ſunt omnium, quædam univerſitatis* (c), *quædam nullius* (d), *pleraque ſingulorum* (e), *quæ variis ex cauſis* (f) *cuique adquiruntur.*

tur. Et quidem naturali (g) *jure omnium communia* (h) *ſunt illa: aer,* (i) *aqua profluens, & mare* (k), *& per hoc littora* (l) *maris.*

a NAturali iure. Ideſt, Jure gentium.
b *Communia ſunt omnium.* Hoc loco Marcianus communium appellatione comprehendit communes res, & publicas. Paulò poſt tamen in fine *l.* 4. *h. t.* ſeparat Publica à communibus. Ut igitur hæc rectè intelligi poſſint, notate, quod diſtant publica à communibus proprietate tantum, non uſu. Uſus enim rerum publicarum communis eſt, ſicut uſus rerum communium. Sed rerum publicarum proprietas eſt populi: nec omnibus æquè patet ut rerum communium proprietas. Exempla rerum communium ſunt hic in textu, exempla verò rerum publicarum in fine *l.* 4. *h. t.*

c *Quædam Univerſitatis*. Univerſitatis dicuntur eſſe, quæ tam proprietate quàm uſu unius ſunt Univerſitatis, Civitatis, vel Populi. Exempla rerum Univerſitatis ſunt infrà in *l. In tantùm* 6. *§. Univerſitatis, h. t.*

d *Quædam nullius*. De rebus nullius videbimus infrà ad *d. l.* 6. *§. Sacræ, h. t.*

e *Pleraque ſingulorum*. Veluti, prædium, domus, equus, bos, cæteræque res privatorum.

f *Quæ variis ex cauſis, &c. §. Singulorum, Inſtit. de rer. diviſ.*

g *Naturali iure*. Ideſt, jure gentium.

h *Omnium communia ſunt*. Communia ſunt omnium ea, quorum uſus & utilitas Jure gentium communis eſt omnibus hominibus. *Ex Cuiac. ad §.*1. *Inſtit. de rer. diviſ.*

i *Aer, aqua profluens*. Aeris, vel aquæ fluentis uſus communis eſt, ſicut & fluminis. Et aquæ quidem, quatenus eam ſumere & uti: fluminis verò, quatenus in ipſo piſcari, & per ipſum navigare cuique liberum eſt: uſu

enim

enim ſolo diſcernuntur flumen, & aqua fluminea. *ex eod. Cujac. ubi ſuprà.*

k *Et mare.* Mare commune omnium eſt, ſicut aer. *l. Injuriarum 13. §. ult. ff. de Injuriis.*

l *Et per hoc litora maris.* Quia litora ſunt pars alvei maris. Eſt autem litus maris, quatenùs hybernus fluctus maximus excurrit. *§. Eſt autem, Inſt. de rer. div.* Hoc eſt, litus maris eſt, quouſque mare excurrit, cúm maximè eſt tempore hyberno.

Lex III. Florentinus lib. 6. Inſtitutionum.

Item lapilli, (a) *gemmæ, & cætera,* (b) *quæ in litore invenimus, jure naturali* (c) *noſtra* (d) *ſtatim fiunt.*

a *Item lapilli, gemmæ.* Gemmæ à lapillis quomodo diſtinguantur, vide in *l. Et ſi non ſunt 21. §. Gemmæ autem ff. de auro, & arg. leg.*

b *Et cætera.* Quæ nullius ſunt, & Jure gentium omnibus vacant. Nam ſi ea, quæ in litore, vel alio loco inveniuntur ſint alicujus, ei ſunt reſtituenda.

c *Iure naturali.* Jdeſt, Jure gentium. *§. Singulorum, Inſt. de rer. diviſ.*

d *Noſtra ſtatim fiunt.* *Paulus in l. 1. §. 1. ff. de adquir. vel amit. poſſeſſ.* Gemmæ, lapilli, margaritæ in litoribus inventæ, ejus fiunt, qui primus earum poſſeſſionem nactus eſt.

Lex IV. Marcianus lib. 3. Inſtitutionum.

Nemo igitur (a) *ad litus maris accedere prohibetur piſcandi* (b) *cauſa: dum tamen villis,* (c) *& ædificiis, & monumentis* (d) *abſtineatur: quia non ſunt* (e) *juriſgentium, ſicut & mare. Idque & Divus Pius piſcatoribus Formianis, & Capenatis* (f) *reſcripſit. Sed flumina penè* (g) *omnia, & portus* (h) *publica* (i) *ſunt.*

a NEmo igitur ad litus maris, &c. Ex eo, quod ſuprà in l.2. h.t. dictum fuit. Litora maris naturali Jure communia omnium eſſe: *In hac l. 4. infertur*. Neminem ad litus maris accedere prohiberi piſcandi cauſa.

b *Piſcandi cauſa*. Aut alia quacumque de cauſa. Piſcatus autem exemplum proponit Marcianus, quod ea fuerit olim à Formianis & Capenatis piſcatoribus, ſicut advertit, propoſita quæſtio. Cor.

c *Dum tamen villis, &c.* Jam ab alio ædificatis. ædificia ruſtica ville ducuntur, *l. fundi appellatione* 211. *ff. de Verb.ſig.*

d *Et monumentis*. Monumentum generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita: in qua ſi corpus vel reliquiæ inferantur, fiet ſepulcrum: ſi verò nihil eorum inferatur, erit monumētum memoriæ cauſa factum, quod Græci κενοτάφιον appellant, *l. Monumentum* 42.*ff. de Relig. & ſumpt. fun. Vide not. infrà ad l. 6. h. t. in fine*.

e *Quia non ſunt juriſgentium*. Quia non ſunt communia, ſed eorum, qui ædificaverunt, *l. Quod in litore* 14. *ff. de acquir. rer. dom.*

f *Capenatis*. Sunt qui legendum eſſe exiſtimant: Capenatiis.

g *Sed flumina penè omnia*. Penè dixit, quia non omnia in univerſum flumina publica ſunt. Nam & privata quædam reperiuntur. Flumina perennia publica ſunt, non perennia privata ſunt. Publicum enim flumen eſſe Caſſius definit, quod perenne ſit. Et perenne eſt, quod ſemper fluit, *l. 1. §. flumen, & §. fluminum ff. de fluminibus*.

h *Et portus*. Portus hoc loco eſt navium ſtatio: ſeù locus concluſus, atque munitus ubi naves tutò ſtare poſſunt.

i *Publica ſunt*. Uſu publica ſunt Juriſgentium, ideſt, communia. *l. adeo 7. §. quod ſi toto ff. de adquir. rer. dom. l. fluminum* 24. *in princ. ff. de dam. inf.* proprietate autem publica ſunt Juris Civilis; nam fluminum & portuum proprietas eſt populi: nec omnibus æquè patet ut rerum communium proprietas. *Cujac. ad §. flumina autem, Inſt. de rer. diviſ.*

Lex

Lex V. Gajus lib.2. Rerum quotidianarum, ſive aureorum.

Riparum (a) *uſus publicus eſt* (b) *Jure gentium ſicut ipſius fluminis. Itaque navem ad eas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare, retia ſiccare,* (c) *& ex mare reducere, onus aliquid in his reponere, cuilibet liberum eſt, ſicuti per ipſum flumen navigare. Sed proprietas* (d) *illorum eſt, quorum prædiis hærent. Qua de cauſa arbores quoque in his natæ eorundem ſunt. In mare piſcantibus liberum eſt caſam* (e) *in litore ponere, qua ſe recipiant.*

a R*iparum uſus, &c.* Ripa ea putatur eſſe, quæ pleniſſimum flumen continet, *l.* 3. *ff. de flumin.*

b *Publicus eſt Jure gentium.* Ideſt communis, *l. fluminum* 24. *in princ. ff. de damn. infec.*

c *Retia ſiccare, & ex mare reducere.* Rectiùs hæc ad litora referuntur in *§. litorum quoque, Inſt. de rer. diviſ.*

d *Sed proprietas illorum eſt, &c.* Proprietas riparum illorum eſt, qui propè ripas prædia poſſident. Æquum eſt enim ut incommodum riparum compenſent cum alio commodo.

e *Liberum eſt caſam in litore ponere. l. Quod in litore* 14. *in princ. ff. de adquir. rer. dom.*

Lex VI. Marcianus lib. 3. Inſtitutionum.

In tantum, (a) *ut & ſoli domini conſtituantur, qui ibi ædificant: ſed quandiu ædificium manet: alioquin, ædificio dilapſo, quaſi jure poſtliminii, revertitur* (b) *locus in priſtinam cauſam: & ſi alius in eodem loco ædificaverit, ejus fiet.*

a I*N tantum, &c.* Qui in litore ædificant, & ſoli domini conſtituuntur: ſed quandiu ędificium manet. h. d.

b *Revertitur locus in priſtinam cauſam.* Quoniam dominium Juris gentium ſicut acquiritur per occupationem ſine

ullo titulo, ita nec durat acquiſitum, niſi quandiu durat occupatio. Fab.

Ad §. Univerſitatis.

Univerſitatis (a) *ſunt, non ſingulorum, veluti, quæ in civitatibus ſunt theatra,* (b) *& ſtadia,* (c) *& ſimilia:* (d) *& ſi qua alia ſunt communia* (e) *civitatum. Ideòque nec ſervus communis civitatis, ſingulorum pro parte intelligitur, ſed univerſitatis. Et ideò tam contra civem, quàm pro eo poſſe ſervum* (f) *civitatis torqueri Divi fratres reſcripſerunt. Ideò & libertus civitatis non habet neceſſe veniam edicti petere, ſi vocet in Jus* (g) *aliquem ex civibus.*

a Univerſitatis ſunt, &c.* Univerſitas eſt nomen Juris, differtque à ſingulis, *l. ſicut municipium 7. ff. Quod cuiuſque univerſ.* Unde quæ ſunt Univerſitatis, ſunt univerſorum inter ſe Civium, non quaſi ſingulorum, aut quaſi propria cujuſque, ſed Jure Civitatis. Cor. Quæ autem ſunt univerſitatis, ea tam proprietate, quàm uſu unius ſunt Univerſitatis, Civitatis, vel populi, ut theatra, ſtadia, & ſimilia. Sunt & quædam Univerſitatis, quæ in uſu non ſunt publico, ſed in bonis, & patrimonio populi, ut puta ſervi publici eorumque peculia.

b *Theatra.* Theatrum eſt ædificium in ſemicirculi formam factum, ad videnda ſpectacula deſtinatum. Amphitheatrum verò forma erat rotunda ex duobus veluti theatris conſtans.

c *Stadia.* Stadium locus erat, in quo equi, homineſve currebant, & certabant Athletæ. Latinè decurſorium dici poteſt.

d *Et ſimilia.* Veluti, Balnea, Porticus.

e *Communia civitatum.* Diſtāt igitur ea quę Univerſitatis ſunt, à publicis, quia publica communia ſunt omnium hominum: Univerſitatis verò communia tantùm Civitatum: ille Jure gentium uſibns omnium, hæc Jure Civili uſibus Ci-

Civium deſerviunt. *Cujac. ad §. Univerſitatis, Inſtit. de rer. diviſ.*

f *Poſſe ſervum Civitatis torqueri. l.* 1. *§. Servum Municipum ff. de quæſtion.*

g *Si vocet in jus aliquem ex civibus. l. Sed ſi* 10. *§. Qui manumittitur ff. de in jus vocando.*

Ad §. Sacræ.

Sacræ res, (a) *& religioſæ, & ſanctæ, in nullius* (b) *bonis ſunt. Sacræ* (c) *autem res ſunt hæ, quæ publicè* (d) *conſecratæ ſunt non privatè. Si quis ergo* (e) *privatim ſibi ſacrum conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum. Semel autem æde Sacra facta, etiam diruto ædificio, locus* (f) *ſacer manet.*

a *SAcræ res, &c. l.* 1. *ff. h. t.*

b *In nullius bonis ſunt. Vide notata ſuprà ad d. l.* 1. *In verbo, quod autem divini juris eſt.*

c *Sacræ autem res, &c.* Hæ res hodie ſacræ nuncupantur, quæ ritè per Epiſcopos Deo conſecratæ ſunt. *cap.* 1. *de Religioſis domibus.*

d *Quæ publicè conſecratæ ſunt.* Quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt. *§. Sacræ res, Inſt. de rer. diviſ. Ubi in meis Comment. hoc plenè explicavi.*

e *Si quis ergo privatim, &c.* Si quis auctoritate ſua quaſi ſacrum ſibi conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum. *d. § Sacræ, Inſt. de rer. diviſ.*

f *Locus ſacer manet.* Ut & Papinianus reſcripſit. *l. Æde ſacra* 73. *ff. de contrahen. empt.*

Ad §. Religioſum.

Religioſum (a) *autem locum unuſquiſque ſua voluntate facit, dum mortuum* (b) *infert in locum ſuum. In commune autem* (c) *ſepulcrum, etiam invitis cæteris,* (d) *licet inferre.*

Sed & in alienum (e) *locum, concedente domino, licet inferre. Et licèt poſtea ratum* (f) *habuerit, quàm illatus eſt mortuus, Religioſus locus ſit.*

a R *Eligioſum autem locum, &c.* Non tamen totus, qui ſepulturæ deſtinatus eſt locus, Religioſus fit, ſed quatenus corpus humatum eſt, *l. 2. §. Sepulcrum ff. de Relig. & ſumpt. ſunt.* Et etiam hodie hæc civilis religioſitas impedit loci alienationem. Jure verò Canonico, ut locus fiat religioſus, requiritur auctoritas Epiſcopi. *Not. in addit. ad gl. 1. in §. Religioſum, Inſtit. de rer. diviſ.*

b *Dum mortuum infert.* Et perpetuæ ſepulturæ tradit. Si quis enim eo animo corpus intulerit, quod cogitaret inde alio poſtea transferre: manebit locus profanus. *l. Si quis enim 40. ff. de Relig. & ſump. funer.*

c *In commune autem ſepulcrum, &c.* In communem verò locum purum, invito ſocio inferre non licet. *§. Religioſum, Inſtit. de rer. diviſ.* Inferre inquam non licet extraneos. Nam ex ipſis dominis quemlibet rectè ibi ſepeliri conſtat etiam ſine cæterorum conſenſu. *l. Si plures 41. ff. de Relig. & ſump. funer.*

d *Etiam invitis cæteris, licet inferre.* Oppono Regulam, quæ ait: In re communi neminem dominorum quidquam altero invito facere poſſe *l. Sabinus 28. ff. Communi divid.* Sed Regulam habere locum quando quis in re communi vult facere aliquid novi: Secus quando vult uti re communi ſecundum eum uſum, cujus gratia conſtituta eſt, ut in caſu noſtro. *Pac. Legum Concil. Cent. 1. q. 37.*

e *Sed & in alienum locum, concedente domino, &c.* Is verò, qui non concedente domino intulit mortuum in alienum locum, aut id tollere, quod intulit, aut loci pretium præſtare cogitur per in factum actionem, *l. is qui intulit 7. ff. de Relig. & ſump. fun.* Oſſa tamen, quæ ab alio illata ſunt, vel corpus, domino loci effodere, vel eruere non licet ſine decreto Pontificum, ſeu juſſu Principis: alioquin injuriarum actio adverſus eum erit. *l. oſſa 8. de Relig. & ſump. fun.*

f *Et*

f *Et licet poſtea ratum habuerit*. In aliis cum negatione legitur: Et licèt poſtea ratum non habuerit. Sed Florentini libri non habent negationem. Eſt autem hoc loco Ratum habere: Acceptum habere: ut illa ſtipulatio, Ratam rem dominum habiturum, *princ. Tit. Inſt. de Satiſdat.* Atque ita hujus loci ſententia erit: Locum Religioſum fieri, quamvis non concedente domino illatus ſit mortuus, modò id ratum poſtea dominus habuerit. *Anton. Auguſt. Emend. l. 1. cap. 2.*

Ad §. Cenotaphium.

Cenotaphium (a) *quoque magis placet locum eſſe* (b) *Religioſum, ſicut teſtis in ea re eſt Vergilius.*

Lex VII. Ulpianus lib. 25. ad Edictum.

Sed divi Fratres contra reſcripſerunt.

a *Cenotaphium*. Greci Cenotaphium appellant monumentum memoriæ cauſa factum, in quo corpus vel reliquiæ non inferantur. *l. monumentum 42. ff. de Relig. & ſumpt. fun. Vide notata ſuprà ad l. 4. h. t. & etiam Budæum in Annot. ad noſtram l. 6.* Ubi inter alia ait, quod Cenotaphium eſt immaginarium ſepulcrum, quale Virgilius deſcribit *lib. 3. Æned.* Cujus loci meminit hic Marcianus.:

Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite inanem.

Ubi Servius Tumulum inanem Cenotaphium eſſe dicit. Græcè κενὸς inanis dicitur, & τάφος ſepulcrum.

b *Locum eſſe Religioſum*. Sed divi Fratres contra reſcripſerunt. *l. prox. ſeq.* Cenotaphium ſcilicèt, locum Religioſum non eſſe, venireque, & donari poſſe, *l. vel quod 6. in fine ff. de Relig. & ſump. funer.*

Lex VIII. Marcianus lib. 4. Regularum.

Sanctum, (a) *eſt quod ab injuria hominum defenſum atque*

munitum eſt §. *Sanctum autem dictum eſt à ſagminibus* (b) *Sunt autem ſagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre ſolent, ne quis eos violaret: ſicuti legati Græcorum fuerunt ea, quæ vocantur Cerycia.* §. *In municipiis quoque muros eſſe* (c) *Sanctos Sabinum rectè reſpondiſſe Caſſius refert: prohiberique oportere nequid in his immitteretur.*

a S*Anctum eſt*, &c. *Vide l. prox. ſeq. in* §. *Propriè*.

b *Sanctum autem dictum eſt à ſagminibus*. Immo ſanctum dicitur à ſanciendo, *l. Sacra* 9. §. *Propriè ff. h. t. Quod etiam teſtatur Aggen. Urbic. in Comment. in Jul. Front.* Neque Marciano eſt aſſentiendum, qui in hac noſtra lege, à ſagminibus hoc verbum deducit.

c *In municipiis quoque muros eſſe ſanctos*, &c. Ideòque muros municipales nec reficere licet ſine Principis, vel Præſidis auctoritate, nec aliquid in eis conjungere, vel ſuperponere, *l. Sacra loca* 9. §. *penult. ff. h. t.*

Lex IX. Ulpianus lib. 68. ad Edictum.

Sacra (a) *loca ea ſunt, quæ publicè ſunt dedicata, ſive in civitate ſint, ſive in agro. Sciendum eſt, locum publicum tunc ſacrum fieri poſſe, cùm Princeps eum dedicavit,* (b) *vel dedicandi dedit poteſtatem. Illud notandum eſt, aliud eſſe ſacrum locum, aliud ſacrarium. Sacer locus eſt locus conſecratus. Sacrarium eſt locus, in quo ſacra reponuntur: quod etiam in ædificio privato eſſe poteſt: & ſolent, qui liberare eum locum Religione volunt, ſacra inde* (c) *evocare.*

a S*Acra loca ea ſunt*, &c. *Vide notata ſuprà ad l. Intantum* 6. §. *Sacræ ff. h. t.*

b *Cùm Princeps eum dedicavit*, &c. Princeps locum publicum dedicavit, cùm Pontifex Max. fuit: permiſit Pontifici, quando non fuit Pontifex. *Suet. in Auguſto.*

c *Sacra inde evocare*. Quid ſit ſacrorum evocátio, & qui-

quibus verbis ſolemnibus Romani loca ſacra profana reddere ſe exiſtimabant, ſi quis ſcire deſiderat, videat Macrobium *l. 3. Saturnal. cap. 8.*

Ad §. Propriè.

Propriè dicimus ſancta, (a) *quæ neque ſacra, neque profana ſunt, ſed ſanctione* (b) *quadam confirmata: ut leges ſanctæ* (c) *ſunt, ſanctione enim quadam ſunt ſubnixæ: quod enim ſanctione quadam ſubnixum eſt, id ſanctum eſt, etſi Deo non ſit conſecratum. Et interdum in ſanctionibus adiicitur, ut qui ibi aliquid commiſit, capite puniatur.*

a PRopriè dicimus ſancta, &c.* Sanctum eſt, quod ab injuria hominum defenſum atque munitum eſt *l. Sanctum 8. in princ. ff. h. t.*

b *Sed ſanctione quadam confirmata.* Ex hoc loco apparet, quod Sanctum dicitur à ſanciendo. Marcianus verò ſanctum ait eſſe dictum à ſagminibus herbis, quas legati populi Romani ferre ſolebant, ne quis eos violaret *d. l. Sanctum 5. §. 1. ff. h. t. Vide notata à me ibidem.*

c *Vt leges ſanctæ ſunt.* Poſſunt etiam ſic dictæ eſſe, quia ſunt inviolabiles: Item quoniam à Deo ipſo ſancitæ intelligantur, *l. 1. & 2. ff. de legibus. Ex Fab. in Ration.*

Ad §. Muros autem.

Muros autem (a) *municipales nec reficere licet ſine Principis, vel Præſidis auctoritate: nec aliquid eis conjungere, vel ſuperponere.*

a MVros autem municipales, &c.* Nam in municipiis quoque muros eſſe Sanctos Sabinum rectè reſpondiſſe Caſſius refert, *l. Sanctum 8. §. ult. ff. h. t.*

Res (a) *ſacra non recipit æſtimationem.*

a RES *ſacra*, *&c.* Sunt & alia, quæ non recipiunt æſtimationem, ut libertas, *l. libertas* 106. *ff. de reg. Jur. patria poteſtas*, *l. filiusfamilias* 114. §. *Sed ſi liberos ff. de legatis* 1. *Eximius labor*, *l. Si pater* 34. *in fine ff. de donat.*

Lex X. Pomponius lib. 6. ex Plautio.

Ariſto ait: ſicut id, quod in mare ædificatum ſit, fieret privatum: (a) *ita quod mari occupatum ſit fieri* (b) *publicum.*

a FIERET *privatum. l. Quamvis* 50. *de acquir. rer. dom.*

b *Fieri publicum.* Juris gentium. *Ideſt commune l.* 2. *&* 4. *ff. h. t.*

Lex XI. Pomponius lib. 2. ex variis lectionibus.

Si quis violaverit muros, capite (a) *punitur: ſicuti ſi quis tranſcendet ſcalis admotis, vel alia qualibet ratione. Nam cives Romanos alia, quàm per portas, egredi non licet: cùm illud hoſtile, & abominandum ſit. Nam & Romuli frater Remus occiſus traditur ob id, quòd murum tranſcendere* (b) *voluerit.*

a CAPITE *punitur.* §. *Sanctæ*, *Inſtit. de rer. diviſ.* Similiter ſi quis vallum tranſcendat, aut per murum caſtra ingrediatur: capite punitur, *l.* 3. §. *In bello ff. de re militari.*

b *Quod*

b *Quod murum tranſcendere voluerit*. Voluntas enim ad effectum aliquem producta, habetur pro crimine perfecto: præſertim cùm per eum, qui voluit, non ſtetit, quominùs perpetravit, *l. Si quis non dicam 5. C. de Epiſcop. & Cler.*, *l. Quis quis 5. C. Ad leg. Jul. Majeſt.* Quanquam alia pœna ſtatuatur interdum perfecto flagitio, quàm imperfecto, *l. 1. ff. de extraord. criminibus*.

DIGESTORUM
LIBER PRIMUS.

De Senatoribus (a)

TITULUS NONUS.

Lex Prima. Ulpianus lib. 62. ad Edictum.

Conſulari (b) *fœminæ utique conſulerem* (c) *virum præferendum* (d) *nemo ambigit. Sed vir præfectorius* (e) *an conſulari fœminæ præferatur, videndum. Putem præferri: quia major* (f) *dignitas eſt in ſexu virili. Conſuleres autem fœminas dicimus, conſularim uxores. Adiicit Saturninus etiam matres: quod nec uſquam relatum eſt, nec unquam receptum.*

a DE *Senatoribus.* Senatores erant in Urbe primùm, non ut poſtea, quicunque ſententiam in Senatu dicebant, ſed qui à Cenſoribus in Senatũ lecti erant conſilii publici cauſa. *Cuiac. hic in Paratit.* Et Senatores dicti fuerunt à ſenectute: quòd initiò nòn niſi provectæ ætatis viri graves eligebantur.

b *Conſulari fœminæ.* Conſulares fœminas dicimus, conſularium uxores. *Ut ſequitur hic in textu.*

c Con-

b *Conſularem virum*. Conſularem virum dicimus eum, qui Conſul fuit.

d *Præferendum*. Ex inſcriptione hujus legis conſtat, quod hoc ait Ulpianus lib. 62. ad Edictum: in quo de bonis auctoritate judicum poſſidendis, de privilegiis, & prælatione creditorum tractabatur, ut rectè ſententiam hujus legis Accurſius retuliſſe videatur ad ſpeciem, *l. Si plures §. ult. & l. majorem ff. de pactis. Pet. Faber Semeſtr. lib. 1. cap. 2. circa finem*.

e *Sed vir præfectorius*. Vir præfectorius dicitur is, qui præfecturam geſſit.

f *Quia major dignitas eſt in ſexu virili*. Quaſi dicat: Quamvis Conſularis dignitas ſit major dignitate Præfectoria: nihilominùs Vir Præfectorius Conſulari fœminæ præferri debet: Quia major dignitas eſt in virili, quem in fœmineo ſexu.

Lex II. Marcellus lib. 3. Digeſtorum.

Caſſius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem (a) *Senatu motus*, (b) *nec reſtitutus eſt, judicare, vel teſtimonium dicere: quia lex Julia* (c) *repetundarum hoc fieri vetat*.

a QUI *propter turpitudinem*. Ideſt, propter ſordes, ut ſi pecuniam acceperit ob ſententiam in Senatu dicendam, *l. eadem lege 6. ff. ad leg. Jul. repetund.*

b *Senatu motus*. Lege impeditur, ne judex ſit, qui Senatu motus eſt, *l. Cùm prætor 12. §. penult. ff. de Judiciis.*

c *Quia lex Julia repetundarum, &c. d. l. eadem lege 6. ff. ad leg. Jul. repetund.*

Lex III. Modeſtinus lib. 6. Regularum.

Senatorem remotum Senatu capite (a) *non minui, ſed Romæ morari, Divus Severus, & Antoninus permiſerunt*.

a Ca-

a *Capite non minui.* §. *quibus autem*, *Inſtit. de capit. demin.* Minuitur tamen ejus exiſtimatio, *l. cognitionum* 5. *ff. de Var. & extraord. cog.*

Lex IV. Pomponius lib. 12. ex variis lectionibus.

Qui indignus (a) *eſt inferiore ordine, indignior eſt ſuperiore.*

a *QUI indignus eſt, &c. Facit l. cui pacto* 5. *ff. de ſervis export. & l. Relegatorum* 7. §. *ult. ff. de Interdict. & relegat.* Ridiculum enim eſſet, eum, qui indignus eſt inferiore ordine, ſuperiore dignum judicare.

Lex V. Ulpianus lib. 1. ad legem Juliam, & Papiam.

Senatoris filium accipere debemus non tantùm eum, qui (a) *naturalis eſt, verùm adoptivum quoque, neque intererit,* (b) *à quo, vel qualiter* (c) *adoptatus fuerit, nec intereſt, jam in Senatoria dignitate conſtitutus eum ſuſceperit, an ante* (d) *dignitatem ſenatoriam.*

a *QUI naturalis eſt.* Et legitimus.

b *Neque interit, à quo.* Ideſt, à plebejo, an à nobili patre, Senator cum acceperit in adoptionem.

c *Vel qualiter.* Ideſt, coram Principe, vel Præſide. *Accurſ.*

d *An ante dignitatem ſenatoriam.* Sunt qui hoc Ulpiani reſponſum à Conſtantino correctum putant in *l. Senator* 11. *C. de dignitat. lib.* 12. Ubi videtur probari, quòd Senator privatos habere debeat filios editos ante quàm ſuſciperet dignitatem. Alii tamen exiſtimant noſtram legem cum *d. l. Senator*, *eſſe conciliandam. Et Duarenus Diſput. Anniverſ. lib. 2. cap. 29. ait Conſtantini ſenſum in ea eſſe:* Si Senator privatos ſuſceperit filios, nempè editos ante Senatoriam dignitatem, quamvis non videantur clariſſimi eſſe, tamen quia durum eſt paternos honores filiis invide-

re, benigniore interpretatione inter clariſſimos referri.

Lex VI. Palus lib. 2. ad l. Juliam, & Papiam.

Senatoris (a) filius eſt, & is, quem in adoptionem accepit: quandiù tamen in familia ejus manet. Emancipatus verò nomen filii (b) emancipatione amittit. §. A Senatore in adoptionem filius datus ei, qui inferioris dignitatis eſt, quaſi Senatoris (c) filius videtur: quia non amittitur ſenatoria dignitas adoptione (d) inferioris dignitatis: non magis quàm, ut conſularis deſinat eſſe.

a *Senatoris filius eſt, &c.* Filios enim familias non ſolùm natura, verùm, & adoptiones faciunt. *l. 1. ff. de adopt.*

b *Nomen filii emancipatione amitt. l. Quin etiam 55. in fine ff. de ritu nup.*

c *Quaſi Senatoris filius videtur: quia non amittitur, & c. l. Per adoptionem 35. ff. de adopt.*

d *Adoptione. Ant. Fab. legendum exiſtimat; adeptione.*

Lex VII. Ulpianus lib. 1. ad l. Juliam, & Papiam.

Emancipatum à patre Senatore, quaſi Senatoris (a) filium haberi placet.

a *Quaſi Senatoris filium haberi placet.* Nam qui emancipatur deſinit quidem eſſe filiusfamilias, ſed non deſinit eſſe naturaliter filius.

Ad §. Item Labeo.

Item Labeo ſcribit, etiam eum, qui poſt mortem patris Senatoris natus ſit, quaſi Senatoris (a) filium eſſe. Sed eum, qui poſteaquam pater ejus de Senatu motus eſt, concipitur, & naſcitur, Proculus, & Pegaſus opininantur non eſſe

quaſi

quaſi Senatoris filium, quorum ſententia vera eſt. Nec enim propriè Senatoris filius dicetur is, cujus pater Senatu motus eſt, antequàm iſte naſceretur. Si quis conceptu ſquidem ſit, antequàm pater ejus Senatu moveatur: natus autem poſt patris amiſſam dignitatem: magis eſt, ut quaſi Senatoris filius intelligatur. Tempus enim conceptionis ſpectandum pleriſque placuit.

a Q*Uaſi Senatoris filium eſſe.* Qui enim eſt in in utero, pro nato habetur quoad ſui commodum, *l. Qui in utero 7. ff. de ſtatu hom.*

b *Magis eſt, ut quaſi Senatoris filius intelligatur.* Quia non debet calamitas patris nocere ei, qui in ventre eſt. *Arg. l. & ſervorum. 5. §. Ingenui ff. de ſtatu hom.*

Ad §. Si quis, & patrem.

Si quis, & patrem, & avum habuerit Senatorem: & quaſi filius, & quaſi nepos ſenatoris intelligitur. Sed ſi pater amiſerit dignitatem ante conceptionem hujus: quæri poterit, an quamvis quaſi ſenatoris filius non intelligatur, quaſi nepos tamen intelligi debeat? Et magis eſt, (a) ut avi potius ei dignitas proſit, quàm obſit caſus patris.

a E*T magis, ut debeat.* Debet quaſi nepos ſenatoris intelligi, ne contra legem Juliam, & Papiam libertinam aut aliam viliorem mulierem uxorem ducat, *l. Lege Papia 23. & l. Lege Julia 44. ff. de ritu nup.* Idque ſignificat Ulpianus in noſtra lege ſcribens ad legem Juliam, & Papiam, ut inſcriptio ejuſdem legis oſtendit. Alia eſt ratio quæſtionum, & pœnarum, quas placuit hujuſmodi nepotibus irrogari, ut earum metu à delictis deterreantur, *l. Divo Marco 11. C. de Quæſtionibus. Ex Pac. Leg. Conciliat. Cant. 1. quæſt. 40.*

Lex VIII. Idem lib. 6. fideicommiſſorum.

Fœminæ (a) *nuptæ clariſſimis perſonis, clariſſimarum* (b) *perſonarum appellatione continentur. Clariſſimarum fœminarum nomine Senatorum filiæ, niſi quæ viros clariſſimos ſortitæ ſunt, non habentur. Fœminis enim dignitatem clariſſimam mariti tribuunt: parentes verò, donec plebeii nuptiis* (c) *fuerint copulatæ. Tandiu igitur clariſſima fœmina erit, quandiu Senatori nupta eſt, vel clariſſimo: aut ſeparata ab eo, alii inferioris dignitatis* (d) *non nupſit.*

a FOEminæ nuptæ, &c. Clariſſimæ fœminæ mentionem facit teſtamentum, in quo fortè fœmina quandiu clariſſima erit, juſſa eſt per fideicommiſſum frui re qualibet: vel ubi deſierit eſſe clariſſima, reſtituere fideicommiſſum. Quæritur, quæ clariſſima fœmina, & quandiu in clariſſimatu manere videatur? *Et Ulpianus l. 6. fideicommiſſorum ait, quòd fœminæ, &c. Eguin. Bar. hic.*

b *Clariſſimarum perſonarum appellatione continentur. l. Mulieres 13. C. de dignit. lib. 12.*

c *Donec plebei nuptiis fuerint copulatæ.* Imperator Alexander in *l. 1. C. de dignit. lib. 12.* Si ut proponitis, & avum conſulerem, & patrem prætorium virum habuiſtis, & non privatæ conditionis hominibus, ſed clariſſimis nupſiſtis: claritatem generis retinetis.

d *Alii inferioris dignitatis non nupſit.* Si minoris ordinis virum poſtea ſortita fuerit, priore dignitate privata, poſterioris mariti ſequetur conditionem, *d. l. Mulieres 13. C. de dignit. lib. 12.*

Lex IX. Papinianus lib. 4. Reſponſorum.

Filiam (a) *Senatoris nuptias liberti ſecutam, patris caſus non facit uxorem. Nam quæſita dignitas liberis, propter caſum patris remoti à Senatu, auferenda non eſt.*

a **F**Iliam Senatoris, &c. Non poſſunt eſſe nuptiæ inter filiam Senatoris, & libertinum, *l. oratione* 16. *l. ſemper* 42. *ff. de ritu nup.* Nec patris caſus facit uxorem filiam ſenatoris nuptias liberti ſécutam, ut in hac noſtra lege. Hęc tamen hodie ſunt correcta per *Novell.* 78. *cap.* 3.

Lex X. Ulpianus lib. 34. ad Edictum.

Liberos (a) *Senatorum accipere debemus, non tantùm Senatorum filios, verùm omnes,* (b) *qui geniti ex ipſis, ex ve liberis eorum dicantur: ſive naturales,* (c) *ſive adoptivi ſint liberi Senatorum, ex quibus nati dicuntur. Sed ſi ex filia Senatoris natus ſit: ſpectare debemus patris* (d) *ejus conditionem.*

a **L**Iberos ſenatorum, &c. Pertinet hæc lex ad caput legis Juliæ, quo Senatores, & liberi eorum vetantur libertinam uxorem habere, *l. lege Julia* 44. *ff. de ritu nup.* Quòd tamen hodie eſt correctum per *Novell.* 78. *cap.* 3.

b *Verùm omnes, qui geniti ex ipſis, &c.* Liberorum enim appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique ex his deſcendunt, continentur, *l. liberorum appellatione* 220. *ff. de verb. ſig.*

c *Sive naturales.* Et legitimi.

d *Spectare debemus patris ejus conditionem.* Qui enim naſcuntur, patris, non matrisfamiliam ſequuntur, *l. familiæ* 196. *ff. de verb. ſig.* Ex hacque regula traditum eſt nobiliſmatris filium non idcircò nobilem eſſe, quoniam ex patre ſolùm deducitur nobilitas, unde nec gentilitia matris inſignia filio gerere conceſſum eſt. *Alciat. ad l. familiæ* 196. *ff. de Verb. ſig.*

Lex XI. Paulus lib. 44. ad Edictum.

Senatores, (a) *licèt in Urbe domicilium habere videantur: tamen & ibi, unde oriundi ſunt,* habere (b) *domicilium intel-*

telliguntur: quia dignitas, domicilii (c) *adjectionem potiùs dediſſe, quàm permutaſſe, videtur.*

a *SEnatores, &c.* Domicilium per dignitatem Senatoriam non amittitur ibi, unde quis oriundus eſt, ſed tantùm re, atque animo, aliò transfertur, ſi fortè Senator fortunas ſuas omnes Romam eo animo tranſtulerit, quaſi in Provinciam habitandi cauſa rediturus ſit nunquam, *l. domicilium* 20. *ff. ad. Municipalem, l. Cives* 7. *C. de Incolis lib.* 10.

b *Habere domicilium intelligitur.* Quantum ad honores, non quantum ad munera, *l. Municeps* 23. *ff. ad municipalem.*

c *Domicilii adjectionem potiùs dediſſe, &c.* Viris enim prudentibus placuit, duobus locis poſſe aliquem habere domicilium, *l. Labeo* 5. *l. Aſſumptio* 6. *§. Viris prudentibus ff. ad municipalem.*

Lex XII. Ulpianus lib. 2. de cenſibus.

Nuptæ priùs conſulari viro impetrare ſolent à Principe, quamvis perrarò, (a) *ut nuptæ iterum minoris dignitatis viro, nihilominùs in Conſulari maneant dignitate: ut ſcio Antoninum Auguſtum Juliæ Mammeæ conſobrinæ ſuæ indulſiſſe. §. Senatores* (b) *autem accipiendum eſt eos, qui à patriciis, & conſulibus,* (c) *uſque ad omnes illuſtres viros deſcendunt: quia & hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt.*

a *QUamvis perrarò.* Præſertim poſt Novellam Juſtiniani 22. *cap.* 36.

b *Senatores.* Hæc definitio Senatorum Triboniani eſt ſumpta ex Novella 62. Juſtiniani, conventique illi ævo, non Ulpiani, *Cujac. hic in not. Et idem Cujac. in Paratit. ait,* quòd Senatores erant in Urbe primùm, non ut poſtea, quicunque ſententiam in Senatu dicebant, ſed qui à Cenſoribus in Senatum lecti erant Concilii publici cauſa.

c *Conſulibus*. *Bud.putat legendum*, *conſularibus*. Ideſt, is, qui aliquando Conſulatum geſſerunt.

De Officia (a) *Conſulis*.

TITULUS DECIMUS.

Lex Prima. Ulpianus lib. 2. de officia Conſulis.

Officium Conſulis eſt conſilium (b) *præbere manumittere volentibus*.

a DE *officio Conſulis*. In quibus conſiſtat Conſulis officium, declarat *Cuiac.hîc in Paratit.* Conſularis poteſtas ad exemplum Regiæ dominationis Romæ fuit introducta: Exactis enim Regibus, Conſules conſtituti ſunt duo: penès quos ſummum jus uti eſſet, lege rogatum eſt. Poſtea, ne per omnia regiam poteſtatem Conſules ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi *l.* 2. *§.Exactis deinde Regibus ff. de orig. Iur.* Et ſub Imperatoribus Conſularis poteſtas paulatim fuit adeò deminuta, ut ſola formè inſignia veteris potentiæ Conſulibus eſſent relicta.

b *Conſilium præbere manumittere volentibus*. Ideſt, cogere ac convocare conſiliarios ad examinandas manumiſſionis cauſas, ſi opus ſit, atque ita ſolemniter manumittere. W. hic.

Ad §. Conſules.

Conſules & ſeorſum ſinguli manumittunt. Sed non (a) *poteſt is, qui apud alterum nomina* (b) *ediderit, apud alterum manumittere: ſeperatæ enim ſunt manumiſſiones. Sanè ſi qua ex cauſa collega manumittere non poterit, infirmitate,*

vel

vel aliqua iuſta cauſa impeditus: collegam poſſe manumiſſionem expedire Senatus cenſuit.

a SED *non poteſt is, qui apud alterum, &c.* Actus enim manumiſſionis eſt legitimus, & conſequenter individuus. Ergo ſcindi non poteſt aut debet, niſi ex neceſſitate ut lex ait. Neceſſitas enim ſolet facere licitum, quod aliàs eſſet illicitum. *Ex Fab.*

b *Nomina ediderit.* Ediderit nomina eorum, quos manumittere deſiderat.

Ad §. Conſules apud ſe.

Conſules apud ſe ſervos ſuos manumittere poſſe, nulla dubitatio eſt; Sed ſi evenerit, ut minor viginti annis Conſul ſit, apud ſe manumittere non poterit cum ipſe ſit, qui ex Senatus (a) *Conſulto conſilii cauſam axaminat: apud collegam* (b) *verò cauſa probata, poteſt.*

a EX *Senatus Conſulto.* Ex Senatus Conſulto facto circa legem Æliam Sentiam. *Vide Cuiac. ad §. Juſtæ autem, Inſtit. Qui & quib. ex cauſ. manumitt. non poſſ.*

b *Apud collegam vero cauſa probata, poteſt.* Poteſt ſcilicèt Conſul minor viginti annis apud ſe ſervos ſuos manumittere, cùm cauſam apud collegam probavit. *Tex. hic. l. Si rogatus 20. in fine ff. de manumiſſis vindicta. Cuiac. Obſervat. lib. 7. cap. 17.*

De Officio (a) *Præfecti Prætorio.*

TITULUS UNDECIMUS.

Lex Prima. Aurelius Arcadius Chariſius magiſter libellorum libro ſingulari de Officio Præfecti Prætorio.

Breviter commemorare neceſſe eſt, unde coſtituendi Præfecto- rum

rum Prætorio officium, origo manaverit. Ad vicem (b) *magiſtri equitum Præfectos prætorio antiquitus inſtitutos eſſe, à quibuſdam ſcriptoribus traditum eſt. Nam cùm apud veteres dictatoribus ad tempus* (c) *ſumma poteſtas crederetur, & magiſtros equitum ſibi eligerent, qui adſociati participales* (d) *curæ (militiæ gratia) ſecundam poſt eos poteſtatem gererent: regimentis Reipublicæ ad Imperatores perpetuos translatis, ad ſimilitudinem magiſtrorum equitum præfecti Prætorio à Principibus electi ſunt, data eis pleniore licentia ad diſciplinæ publicæ emendationem.*

a DE *Officio Præfecti Prętorio.* Vetere; ſut tradit Aſconius, omnem Magiſtratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellaverunt: Unde & Prætorium, tabernaculum ejus: & in caſtris porta Prætoria, & hodie quoque Præfectus Prætorio. Translata igitur in unius dominatum Republica, Præfectus Prætorio dictus eſt Prætorianorum militum ſive Aulæ Præfectus, cui Princeps rerum, judiciorumque ſummam commiſit, *l. quilibet* 40. *C. de Decurion. lib.* 10. Qui & ſolus vice ſacra cognoſcere verè dicendus eſt, *l. à Proconſulibus* 16. *C. Theod de appell.* Et cunctarum provinciarum maximam poteſtatem habet, *l. ne quis* 38. *C. de Decur. lib.* 10. Et præter hunc, vel Vicarium ejus, nullus Magiſtratus habet pleniſſimum Imperium merum. *Cuiac. hic in Paratit. Vide Pet. Fab. lib.* 1. *Semeſt. cap.* 1. 2. & 3.

b *Ad vicem Magiſtri equitum, &c.* Et Tribuni Celerum *l.* 2. *§. Iiſdem temporibus ff. de orig. Jur.* Non ab re autem eſt quod hic ait, ad vicem Magiſtri equitum, non Præfectum, ſed Præfectos Prætorio antiquitus inſtitutos eſſe: non enim ſinguli, ſed plerunque duo ſimul, jam inde à primis Imperatoribus, interdum etiam tres Præfecti Prætorio, eodem tempore ſummam adminiſtrarunt Rempublicam. *Pet. Fab. lib.* 1. *Semeſtr. cap.* 1.

c *Ad tempus. Ad menſes ſex. l.* 2. *§. populo deinde aucto ff. de orig. Jur.*

d *Participales curæ*. In vulgatis exemplaribus legitur: principali curæ.

Ad §. His cunabulis.

His cunabulis (a) *Præfectorum auctoritas initiata, in tantum meruit augeri, ut appellari à Præfectis Prætorio non poſſit. Nam cùm ante quæſitum fuiſſet, an liceret à Præfectis Prætorio appellare, &* (b) *Jure liceret, & extarent exempla eorum, qui provocaverant: poſtea publicè ſententia principali lecta, appellandi facultas interdicta eſt. Credidit enim Princeps, eos, qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide, & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos eſſe pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ, quàm ipſe foret iudicaturus.*

a HIS *cunabulis, &c.* A Præfectis Prætorio appellari non poteſt h. d. & rationem aſſignat. Suplicandi tamen data eſt licentia, *l.1.C. de ſenet. Præfec. Præt.*

b *Et Jure liceret*. In aliis legitur: & an Jure liceret.

Ad §. Subnixi.

Subnixi ſunt etiam alio privilegio Præfecti Prætorio: Ne à ſententiis (a) *eorum minores ætate ab aliis Magiſtratibus, niſi ab ipſis Præfectis Prætorio, reſtitui poſſit.*

a NE *à ſententiis eorum, &c.* A ſententiis Præfectmoru Prætorio non poſſunt minores vigintiquinque annis, ab aliis magiſtratibus, niſi ab ipſis Præfectis Prætorio, in integrum reſtitui. Inferiores enim ſolvere nequeunt quod ſuperiores ligaverunt.

De

De Officio (a) *Præfecti Urbi.*

TITULUS DUODECIMUS.

Lex prima Ulpianus libro ſingulari de Officio Præfecti Urbi.

Omnia (b) *omnino crimina Prefectura Urbis ſibi vindicavit: nec tantùm ea, quæ intra Urbem admittuntur: verùm ea quoque, quæ extra Urbem intra* (c) *Italiam, ut Epiſtola* (d) *divi Severi ad Fabium Cilonem Præfectum Urbi miſſa declaratur.*

a DE *Officio Præfecti Urbi.* Præfectus Urbi, temporibus Imperatorum, erat Magiſtratus, cui Urbis, terminorumque ejus curam Princeps commiſit *Cujac. hic in Paratit.* Officium igitur ejus præcipuum Urbem cuſtodire, & quidquid non modò intra Urbem, verùm etiam intra centeſimum ab Urbe lapidem commiſſum eſſet, animadvertere. Itaque & Prætores, & Præfecti Vigilum, ſi quis graviore ſupplicio plectendus eſſet, eum ad illum remittebant, hac noſtra *l. 1. §. ſolent. §. Sed ſi quis præſens, Inſt. de ſuſpect. tut. vel cur. l. 3. & 4. ff. de offic. Præfecti Vigilum.*

b *Omnia omnino, &c.* Milites excipe, *l. 1 C. de offic. mag. mil.*

c *Intra Italiam.* Intra tamen centeſimum milliarium ab Urbe. *Eadem l. 1. §. Initio.*

d *Ut Epiſtola Divi Severi, &c.* Criminum enim coercitionem, & gladii poteſtatem nemo habet, niſi cui data eſt à Principe: cujus ſolius eſt animadvertere in caput civis Romani, quod antea nemini licebat injuſſu populi, *l. 2. §. Exactis deinde Regibus ff. de orig. Jur. Ex Fab. hic.*

Ad §. Servos.

Serveos, qui ad ſtatuas (a) *confugerint: vel ſua pecunia emptos,*

ut manumittantur, de dominis quærentes (c) *audiet.*

a QUI *adſtatuas confugerint.* Qui confugerint ad ſtatuam Principis ob ſævitiam dominorum. *Vide l.2. ff. de iis, qui ſui, vel al. Jur. ſunt, & not. à me ibidem In Verbo,* Ad ſtatuam confugerunt.

b *Vel ſua pecunia emptos.* Emptos fortè pecunia amici beneficio data. Impropriè tamen dicitur ſervus ſua pecunia emptus. *Vide l. Is, qui ſuis 4. in princ. ff. de Manumiſſ.*

b *Quærentes audiet.* Præfectus Urbi. *l. Si quis dicat 5. ff. de manumiſſ.*

Ad §. Sed & patronos.

Sed & patronos egentes de ſuis libertis quærentes audiet: (a) *maximè ſi egenos ſe eſſe dicant, deſiderentque à libertis* (b) *exhiberi.*

a AUdiet. Summaria cognitione. *l. Si quis à liberis 5. §. ſi vel parens ff. de liber. agnoſc.*

b *A libertis exhiberi.* A libertis ali, *d. l. ſi quis à liberis 5. in princ.*

Ad §. Relegandi.

Relegandi, deportandique in inſulam, quam Imperator (a) *adſignaverit, licentiam* (b) *habet.*

a QUam *Imperator adſignaverit.* Præfectus Urbi Inſulam non aſſignat, quoniam nullam habet. Nam ejus Imperium erat intra centeſimum milliare. *Hac noſtra l. 1. §. Initio.*

b *Licentiam habet.* Præfectus Urbi Jus habet deportandi: Præſidi verò Provinciæ deportandi Jus non eſt datum. *l. 2. §. Conſtat ff. de pœnis. l. Inter pœnas 6. §. 1. ff. de Interd. & releg.*

Ad §. Initio.

Initio ejuſdem (a) *epiſtolæ ita ſcriptum eſt: Cùm Urbem noſtram fidei tuæ commiſerimus. Quidquid igitur intra Urbem admittitur, ad Præfectum Urbi videtur pertinere. Sed & ſi quid intra centeſimum milliarium admiſſum ſit, ad Præfectum Urbi pertinet. Si ultra ipſum lapidem* (b), *egreſſum eſt præfecti Urbi notionem.*

a EJuſdem epiſtolæ. Divi Severi ad Fabium Cilonem. *Ut ſupra in princ. h. l. noſtræ.*

b *Si ultra ipſum lapidem, &c.* In aliis: Si ultra ipſum lapidem egreſſum eſt: Præfecti Urbi notio non eſt.

Ad §. Si quis ſervum.

Si quis ſervum (a) *ſuum adulterium commiſiſſe dicat in uxorem ſuam, apud Præfectum Urbi erit audiendus.*

a SI *quis ſervum, &c.* Ex reſcripto Divi Marci, etiam adverſus proprium ſervum adulterii accuſationem inſtituere dominus poteſt. *l. Servos quoque 5. ff. de accuſat. Apud Præfect. Urbi, ut in hoc noſtro §.*

Ad §. Sed & ex Interdictis.

Sed & ex Interdictis, quod vi aut clam, aut Interdicto, unde vi, audire (a) *poteſt.*

a AUdire poteſt. Et poteſt Præfectus Urbi de vi cognoſcere, etiamſi civiliter eſſet actum. Felt. hic. Non eo minus tamen ſalva Prætoris cognitio erit, ſi Præfectus non occupaverit. ex Fab.

Ad §. Solent.

Solent ad Præfecturam (a) *Urbis remitti etiam tutores, ſive*

curatores, qui malè in tutela, ſive cura verſati, graviore animadverſione indigent, quàm ut ſufficiat eis ſuſpectorum infamia: quos probari poterit (b) *, vel numis datis tutelam occupaſſe: vel præmio accepto, operam dediſſe, ut non idoneus tutor alicui daretur: vel conſultò circa edendum patrimonium quantitatem minuiſſe: vel evidenti fraude pupilli bona alienaſſe.*

a *SOlent ad Præfectum Urbis remitti, &c.* Ad Præfectum Urbi remittebantur Tutores, ſive curatores puniendi: quoniam ad eum pertinebat punire criminoſos, ut in princ. hujus noſtræ legis.

b *Quos probari poterit, vel nummis datis, &c. l. In eos 9. ff. de Tutelis.* Et in eos extra ordinem animadvertitur, ut in dict. l. 9.

Ad §. Quod autem.

Quod autem dictum eſt (a)*, ut ſervos de dominis quærentes Præfectus audiat, ſic accipiemus: non accuſantes dominos: (hoc enim nequaquam ſervo permittendum eſt, niſi ex cauſis* (b) *receptis) ſed ſi verecundè expoſtulent: ſi ſævitiam, ſi duritiam, ſi famem, qua eos premant: ſi obſcenitatem* (c)*, in qua eos compulerint, vel compellant, apud Præfectum Urbi exponant. Hoc quoque officium Præfecto Urbi à Divo Severo datum eſt, ut mancipia tueatur, ne proſtituantur.*

a *QUod autem dictum eſt. Suprà in §. Servos.*
Niſi ex cauſis receptis. Ut infrà de Judiciis, l. Vir certis 53.

c *Si obſcenitatem, &c.* Immo lenones domini, qui ſuis ancillis peccandi neceſſitatem imponunt, earum poteſtate privantur, *l. ult. C. de Spectaculis lib. 11. l. Si lenones 13. Cod. de Epiſcop. aud.*

Ad

Ad §. Præterea.

Præterea curare debet Præfectus Urbi, ut numularii (a) *probè ſe agant* (b) *circa omne negotium ſuum: & temperent his, quæ ſunt prohibita.*

a UT *numularii probè ſe agant*. Erant numularii permutatores numorum: qui majoris precii numis acceptis, numulos per partes reddebant: aut certæ regionis acceptam pecuniam, regionis alterius pecunia permutabant. Facit *l. Quædam* 9. §. *Numularios ff. de edendo*. Numularios præterea pecuniam ſpectaſſe ac probaſſe patet ex *l. Si ſoluturus* 39. *ff. de ſolutionibus ex H.*

b *Se agant*. In aliis ſe gerant.

Ad §. Cùm Patronus.

Cùm patronus contemni ſe à liberto dixerit, vel contumelioſum ſibi libertum quæratur, vel convicium ſe ab eo paſſum, libeòroſque ſuos, vel uxorem, vel quid huic ſimile objicit: Præfectus Urbi adiri ſolet, & pro modo (a) *querelæ corrigere eum, aut comminari* (b), *aut fuſtibus caſtigare, aut ulteriùs procedere in pœna ejus ſolet. Nam & puniendi plerumque ſunt liberti. Certè ſi ſe delatum à liberto, vel conſpiraſſe* (c) *eum contra ſe cum inimicis doceat: etiam metalli pœna in eum ſtatui debet.*

a ET *pro modo querelæ corrigere eum*. Culpa & ingratitudo liberti aliquando eſt gravis, aliquando levis: & conſequenter aliquando gravem, aliquando levem pœnam meretur.

b *Aut comminari*. Sub comminatione aliqua ſeveritatis non defuturæ, ſi rurſùm cauſam querelæ præbuerit. *l.* 1. *ff. de Jure patronatus*.

c *Vel conſpiraſſe eum contra ſe cum inimicis doceat*. Nec enim ideo punitur, ſi tantùm amicitiam cùm inimicis patroni contraxerit. Brun. hic.

Ad

Ad §. Cura carnis.

Cura (a) *carnis omnis, ut juſto* (b) *pretio præbeatur, ad curam Præfecturæ pertinet. Et ideo & forum* (c) *ſuarium ſub ipſius cura eſt. Sed & cæterorum* (d) *pecorum, ſive armentorum, quæ ad hujuſmodi præbitionem ſpectant, ad ipſius curam pertinent.*

a CUra carnis. *Et annonæ.* Quamvis enim Romæ eſſet Præfectus annonæ: Tamen etiam annonæ cura ad Præfectum urbi, cujus fidei tota urbs commiſſa erat, pertinebat: Ita ut ambæ poteſtates tuerentur annonam, eſſetque ſocietas muneris: ita tamen ut inferior gradus meritum ſuperioris agnoſceret. *l. 1. C. de offic. Præf. urbi.*

a *Ut juſto pretio.* Regulariter nemò cogitur res ſuas vendere certo aliquo pretio. Tamen publicæ utilitatis cauſa ſunt excipiendæ res venales, quæ ad victum pertinent, quibus certum pretium ſtatui ſolet. *Pac. Leg. Concil. Cent. 1. q. 42.*

c *Et forum ſuarium.* Forum ſuarium dicitur, in quo ſues venduntur: ſicut boarium, in quo boves.

d *Sed & cæterorum pecorum, &c.* Quæ ad forum boarium pertinent.

Ad §. Quies.

Quies quoque (a) *popularium, & diſciplina ſpeculatorum ad Præfecti Urbi curam pertinere videtur. Et ſanè debet etiam diſpoſitos milites* (b) *ſtationarios habere ad tuendam popularium quietem, & ad referendum ſibi, quid* (c) *ubique agatur.*

a QUies quoque popularium. Populares ſunt qui Factionarii dicuntur. *l. 1. C. Theod. de equis curialibus.*

b *Milites ſtationarios.* Locum vigilibus ad excubias agendas aſſignatum, Stationem vocamus, quòd in eo ſubſiſtere cogantur, neque eum ſine gravi noxa poſſint relinque-

linquere. Hinc Stationarii milites dicuntur, qui in Stationibus diſpoſiti ſunt, ſeu quibus certa ad cuſtodiam, ſeu excubias agendas aſſignata eſt ſtatio. *Facit l. 3. §. Qui ſtationis, ff. de re militari.*

c *Quid ubique agatur*. In aliis legitur; quid in urbe agatur.

Ad §. Et Urbe.

Et urbe interdicere Præfectus urbi, & qua alia (a) *ſolitarum regionum poteſt, & negotiatione, & profeſſione, & advocationibus, & foro, & ad tempus, & in perpetuum* (b). *interdicere poterit & ſpectaculis: & ſi quem releget* (c) *ab Italia, ſummovere eum etiam à Provincia ſua.*

a ET *qua alia ſolitarum regionum*. Hoc de regionibus ſuburbicariis & regionibus Italiæ accipiendum eſt, non de Urbis regionibus. Separantur ſuburbiariæ regiones ab Italiæ regionibus. Sed cùm poſſit Italia omni Præfectus Urbi interdicere, poterit etiam ſuburbicaria, vel quapiam Italiæ regione interdicere. Cujac. *Obſervat.* lib. 1. cap. 14.

b *Et in perpetuum. Adde l. Moris eſt 9. in princ. ff. de pœnis*. Opponunt DD. *l. ult. in princ. ff. eod. Tit. de pœnis*. Pro ſolutione. *Vide Pac. Leg. Concil. Cent. 1. q. 43.*

c *Et ſi quem releget ab Italia, &c.* Poterit etiam Præfectus Urbi eum, cui Italia interdixerit, ſpecialiter ſummovere à Provincia ſua. *Tex. hic. & Cujac. ubi ſuprà.*

Ad §. Divus Severus.

Divus Severus reſcripſit, eos etiam, qui illicitum collegium (a) *coiſſe dicuntur, apud Præfectum ubi accuſandos.*

a QUi *illicitum collegium coiſſe dicuntur*. Ideſt, ſine auctoritate Senatus, vel Principis. *l. 3. ff. de colleg. & corp. illic.* Sunt autem collegia ſine Superiorum auctoritate prohibita & illicita, propter metum factio-

 num

num & laxationum diſciplinæ publicæ. Quibus autem legibus, Senatúſconſultis, Conſtitutionibuſque coerceantur Collegia illicita, recenſet Briſſon. *Select. ex Jure Civ. antiq.* lib. 1. cap. 14.

Lex II. Paulus libro ſingulari de Officio Præfecti Urbi.

Adiri etiam ab argentariis (a), *vel adverſus eos, ex epiſtola* (b) *Divî Hadriani, & in pecuniariis cauſis poteſt.*

a *ADiri etiam ab Argentariis.* Argentarii negociationem rei numariæ exercebant: & ad eos duabus de cauſis pecuniæ deferebantur: aut enim apud menſam deponebantur ſine fœnore, ut tutiore loco dumtaxat, quàm privatis in ædibus aſſervarentur: aut ſub uſuris pecuniæ ipſis credebantur: quas deinde fœnori collocabant. *l. Si ventri* 8. *§. In bonis ff. de privileg. cred.* Eorumque officium atque miniſterium publicam habebat cauſam: & principalis eorum opera erat, ut actus ſui rationes diligenter conficerent, *l. Argentarius* 10. *in princ. ff. de Edendo.*

b *Ex Epiſtola Divi Hadriani.* Ecce ſpecialiter ex epiſtola Divi Hadriani Præfecto Urbi datum, ut adiri poſſet ab Argentariis, vel adverſus eos, etiam in pecuniariis cauſis: quod arguit pecuniarias cauſas regulariter non cognoviſſe. Baro hic.

Lex III. Ulpianus lib. 2. ad Edictum.

Præfectus Urbi, cùm terminos (a) *Urbis exierit, poteſtatem non habet: Extra Urbem* (b) *poteſt jubere judicare.*

a *CUm terminos Urbis exierit.* Cùm exierit centeſimum milliarium. *l. 1. §. Initio ff. h. t.*

b *Extra Urbem.* Legendum eſt: Nec extra Urbem *Got. & Fab. hic.* Alii, retenta vulgata lectura, dicunt, quod Præfectus Urbi,

Urbi, quando eſt extra Urbem, poteſt jubere judicare. Ideſt, Judices dare, qui intra terminos dictionis ſuæ judicent. *Zoeſ. Bar. Felt.*

De Officio Quæſtoris.

TITULUS DECIMUSTERTIUS.

Lex Prima. Ulpianus lib. ſingulari de Officio Quæſtoris.

Origo Quæſtoribus (a) *creandis antiquiſſima* (b) *eſt, & penè* (c) *ante omnes magiſtratus. Gracchanus denique Junius libro ſeptimo de poteſtatibus, etiam ipſum Romulum & Numam Pompilium binos Quæſtores habuiſſe, quos ipſi non ſua voce, ſed populi ſuffragio crearent, refert. Sed ſicuti dubium eſt, an Romulo, & Nerva regnantibus Quæſtor fuerit: ita Tullo Hoſtilio Rege Quæſtores fuiſſe certum eſt. Sanè crebrior apud veteres opinio eſt, Tullum Hoſtilium primum in Rempublicam induxiſſe Quæſtores.*

§. *Et à genere* (d) *quærendi Quæſtores initio dictos, & Junius, & Trebatius, & Feneſtella ſcribunt.*

a Origo Quæſtoribus creandis. In aliis: Origo Quæſtoris creandi.

b *Antiquiſſima eſt.* Quæſtores, Regibus etim imperantibus, inſtituti ſunt: quod lex Curiata oſtendit ab L. Bruto repetita. Manſitque Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorem Populus mandaret. *Tacitus Annal. lib.* 11.

c *Et penè ante omnes magiſtratus.* Juris Conſultus hic adiecit, penè, quoniam quidam Magiſtratus fuerunt creati ante Quæſtores, ut Tribuni Celerum, *l.* 2. §. *Quod ad Magiſtratus ff. de orig. Jur.*

d *Et à genere quærendi, &c.* Quæſtores dicti ſunt ab eo,

 quòd

quòd inquirendæ pecuniæ cauſa creati erant.

Ad §. Ex Quæſtoribus.

Ex Quæſtoribus quidam ſolebant (a) *provincias ſortiri ex Senatus Conſulto, quod factum eſt Decimo Druſo & Porcina Conſulibus. Sanè non omnes Quæſtores provincias ſortiebantur, verùm excepti erant Candidati Principis. Hi enim ſolis libris* (b) *Principalibus in Senatu legendis vacant.*

a SOlebant provincias ſortiri. Ad quærendam pecuniam.
b Hi etenim ſolis libris principalibus, &c. Hoc eſt, ſolis epiſtolis, ſive orationibus Principis, ut infrà in §. *ult.* Candidati igitur nomine tantùm, non re, Quæſtores erant.

Ad §. Hodieque.

Hodieque obtinuit (a) *indifferenter Quæſtores creari, tam patricios, quàm plebejos: ingreſſus eſt enim, & quaſi primordium gerendorum honorum, ſententiæque in Senatu dicendæ.*

a HOdieque obtinuit indifferenter, &c. Quæſturam plebeis communicari obtinuit: Idque fuit plebi pro ingenti victoria adverſus patricios, quemadmodum T. Livius ſcribit *lib.* 4. Erat enim Quæſturæ honos ad amplioris honoris gradum primus aſcenſus, puta ad Ædilitatem, Præturam, Conſulatum.

Ad §. Ex his.

Ex his, ſicut diximus, (a) *quidam ſunt, qui Candidati Principis dicuntur, quique epiſtolas* (b) *ejus in Senatu legunt.*

a SIcut diximus. Supra §. Ex Quæſtoribus.
b Quique Epiſtolas ejus, &c. Sive Orationes. Fuit enim hoc Quæſtorum ſub Cæſaribus munus, ut Orationes Cæſa-

ſarum recitarent. Sed & ad cætera omnia, quæ vel abſentes, vel præſentes, ſi laborem recitandi fugiebant, Senatui nota facere vellent, Quæſtorum opera Principes utebantur. *Briſſon. Select. ex Jure Civili Antiquit. lib.* 1. *cap.*17.

De Officio (a) *Prætorum.*

TITULUS DECIMUSQUARTUS.

Lex Prima. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

Apud filiumfamiliàs prætorem poteſt pater (b) *ejus manumittere.*

Lex II. Paulus lib. 4. ad Sabinum.

Sed etiam ipſum (c) *apud ſe emancipari, vel in adoptionem dari placet.*

a DE *Officio Prætorum. Cicero lib. de legibus* 3. Juris diſceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat; Prætor eſto. Is Juris Civilis cuſtos eſto. Initio igitur Prætor unus fuit creatus, qui Urbanus appellatus eſt, quòd in Urbe Jus redderet, *l.* 2. *§. Cùmque Conſules ff. de orig. Jur.* Poſtea creatus fuit & alius Prætor, qui Peregrinus appellatus eſt ab eo quòd plerumque inter peregrinos Jus dicebat, *ead. l.* 2. *§. Poſt aliquot*. Deinde alii complures adiecti fuere ita ut Divi Nervæ temporibus decem & octo Prætores in Civitate Jus dicerent, *d. l.* 2. *§. Capta deinde*.

b *Poteſt pater ejus manumittere*. In his enim quæ ſunt Juriſdictionis voluntariæ, pater filium, vel filius patrem Judicem habere poteſt, *l. In privatis* 77. *ff. de Judiciis*: Auctoritatem autem manumittenti præſtare, non eſt actus Juriſdictionis contentioſæ, ſed voluntariæ *l.* 2. *ff. de Offic. Proconſ.*

b *Sed etiam ipſum apud ſe emancipari, &c.* Filiusfamilias Prætor apud ſe emancipari, vel in adoptionem dari poteſt, *Vide notata ſupra ad l. 3. ff. de adopt.*

Lex III. Ulpianus lib. 38. ad. Sabinum.

Barbarius (a) *Philippus, cùm ſervus fugitivus eſſet, Romæ Præturam petiit, & Prætor deſignitus eſt. Sed nihil ei ſervitutem obſtitiſſe ait Pomponius, quaſi Prætor non fuerit. Atquin verum eſt, Prætura eum functum. Et tamen videamus ſi ſervus, quandiu latuit, dignitate Prætoria functus ſit: quid dicemus? quæ edixit, quæ decrevit, nullius fore momenti? an fore propter utilitatem eorum, qui apud eum egerunt vel lege, vel quo alio jure? & verum puto, nihil eorum reprobari, hoc enim humanius eſt: cùm etiam potuit populus Romanus ſervo decernere hanc poteſtatem: ſed & ſi ſciſſet* (b) *ſervum eſſe, liberum effeciſſet. Quod Jus in Imperatore* (c) *multò magis obſervandum eſt.*

a BArbarius Philippus, &c. Barbarius Philippus, cùm ſervus fugitivus eſſet, Romæ ſe pro libero geſſit. Ubi Præturam prætiit, & errore Populi Prætor deſſignatus Prætura functus eſt. Servitute ejus patefacta, Quæſtio exorta eſt: Utrùm verè Prætor fuiſſet, & an ea, quæ in fungendo Præturæ munere geſſerat, rata eſſe oporteret, an verò quaſi à non Prætore geſta, pro nihilo habenda eſſet? Barbarium Prætorem fuiſſe veramque geſſiſſe Præturam Pomponius dixit, & conſequenter omnia, quæ in Prætura geſſerat, eſſe rata. Sed ex Ulpiani Sententia Barbarius, ementita dignitate ſtatum non mutavit, & verè Prætor non fuit: geſta tamen ab eo non reprobantur propter utilitatem eorum qui apud eum egerunt. Hoc enim humanius eſt. *Facit l. 2. C. de Sent. & interloc. omn. jud.*

b *Sed & ſi ſciſſet ſervum eſſe, liberum, effeciſſet.* Ideſt ex ſola delatione Præturæ tacito intellectu liberum eum effeciſſet.

c *Quod*

n *Quod Jus in Imperatore multo magis obſervandum eſt.* Ut quem ſcilicet Princeps fecerit Prętorem,& liberum feciſſe intelligatur. *Ex Cuiac.*

Lex IV. Idem lib. 1. de omnibus Tribunalibus.

Prætor (a) *neque tutorem, neque ſpecialem* (b) *judicem ipſe ſe dare poteſt.*

a PRætor *neque tutorem, &c. l. Prætor 4. ff. de tutor. & curat. dat. &c.* Si enim ſe tutorem daret, ſuſpicione non careret. *Facit l. Quæ omnia 25. §. 1. ff. de Procurat.*

b *Neque Specialem judicem.* Si enim ſe Judicem daret ad certam ſpeciem definiendam, contra rationem Juris efficeret, ut à ſe ipſo ad ſe ipſum appellaretur, *l. 1. ff. Quis, à quo appelletur.*

De Officio (a) *Præfecti Vigilum.*

TITULUS DECIMUSQUINTUS.

Lex Prima. Paulus lib. ſingul. de Officio Præfecti Vigilum.

Apud vetuſtiores, incendiis arcendis Triumviri præerant: qui ab eo, quod excubias agebant, nocturni dicti ſunt. Interveniebant nonnunquam & ædiles, & Tribuni plebis. Erat autem familia publica circa portas, (b) *& muros diſpoſita: unde, ſi opus eſſet evocabatur. Fuerunt & privatæ familiæ, quæ incendia vel mercede, vel gratia extinguerent. Deinde Divus Auguſtus* (c) *maluit per ſe huic rei conſuli.*

Lex II. Ulpianus lib. ſingulari de Officio Præfecti Vigilum.

Pluribus uno die incendiis exortis.

Lex

Lex III. Paulus lib. ſingulari de Offic. Præfecti Vigilum.

Nam ſalutem Reipublicæ tueri, nulli magis credidit convenire, nec alium ſufficere ei rei, quàm Cæſarem. Itaque ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit, ut binas (d) *regiones Urbis unaqueque cohors tueretur: præpoſitis eis Tribunis, & ſuper omnes ſpectabili* (e) *viro, qui Præfectus vigilum appellatur.*

a DE *Officio Præfecti Vigilum.* Præfectus Vigilum, ordinarius Magiſtratus ab initio non fuit, ſed extra ordinem utilitatis cauſa ad tempus fuit conſtitutus, *l. 2. §. Et hæc omnia ff. de orig. Jur.* Poſtea tamen factus eſt legitimus atque perpetuus. Præfecto autem Vigilum commiſſæ ſunt Urbis excubiæ, & Vigilum cohortes, ne quid per noctem in Urbe delinquatur, nève quod in ea incendium exoriatur. *Ex Cuiac. hic in Paratit.*

b *Circa portas & muros diſpoſita.* Portas enim, & muros cuſtodiebat.

c *Deinde Divus Auguſtus, &c.* Suetonius in Auguſto. Adverſus incendia excubias nocturnas, vigilesque commentus eſt.

d *Ut binas regiones Urbis unaqueque cohors tueretur.* Fuerunt enim quatuordecim Regiones Urbis Romæ.

e *Spectabili viro, qui Præfectus Vigilum appellatur.* Hunc Titulum ad Præfectos pertinuiſſe Caſſiodorus oſtendit.

Ad §. Cognoſcit.

Cognoſcit Præfectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptoribus: niſi ſi qua tam atrox, tamque famoſa perſona ſit, ut Præfecto Urbi (a) *remittatur. Et quia plerunque incendia culpa* (b) *fiunt inhabitantium: aut fuſtibus caſtigat eos, qui negligentius ignem habuerunt:*

runt: aut ſevera interlocutione comminatus, fuſtium caſtigationem remittit.

a UT *Præfecto Urbi remittatur.* Qui dolo feciſſe incendium convincuntur, ad Præfectum Urbi remittuntur, *l. ult. h. t.*

b *Plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium. Oppon. l. Si vendita* 11. *ff. de peric. & commod. rei vend.* Ubi dicitur Incendium ſine culpa non fieri. ℞. fieri quidem ſemper Incendium aliqua culpa, non tamen fit ſemper culpa inhabitantium. Quandoque enim extraneus incendii cauſam *dat. Pac. Leg. Concil. Cent.* 1. *quæſt.* 45.

Ad. §. Effracturæ.

Effracturæ fiunt plerumque in inſulis (a), *in horreisque, ubi homines pretioſiſſimam partem fortunarum ſuarum reponunt: cùm vel cella effringitur, vel armarium, vel arca: & cuſtodes plerumque* (b) *puniuntur: & Divus Antoninus Erycio* (c) *Claro reſcripſit. Ait enim poſſe eum, horreis effractis, quæſtionem habere de ſervis cuſtodibus, licèt in illis ipſius Imperatoris* (d) *portio eſſet.*

a IN *inſulis.* Inſula dicitur non modo terra, quæ undique aquis circundatur, ſed domus etiam, quæ nullis conjugitur ædificiis cohærentibus, ſed circuitu publico, aut privato cingitur.

b *Et cuſtodes plerumque puniuntur.* A Præfecto Vigilum, aut à Præfecto Urbi, ut in §. *prox. præced.*

c *Erycio Claro.* Qui fuit Præfectus Urbi. *Gellius lib.* 13. *cap.* 16.

d *Licèt in illis ipſius Imperatoris portio eſſet.* Bonus enim Principes majorem publicæ utilitatis, quàm propriæ rationem habere debet. *Ex Fab.*

Ad §. Sciendum eſt.

Sciendum eſt autem, Præfectum Vigilum per totam noctem vigilare debere: & coerrare calciatum (a), *cum hamis*, (b) *& dolabris*.

a *CAlciatum*. Quidam exiſtimant legi debere: Falciatum: ideſt, falcibus muralibus, quæ diruendis ædibus inflammatis parantur, inſtructum.

b *Cum hamis, & dolabris*. Hæc erant inſtrumenta ad extinguendum incendium accommodata.

Ad §. Ut curam.

Ut curam adhibeant, omnes inquilinos admonere, ne negligentia aliqua incendii caſus oriatur: præterea, ut aquam unuſquiſque inquilinus in cœnaculo (a) *habeat, jubetur admonere.*

a *IN cœnaculo*. In ſuperiori ædium parte. Cœnaculum enim eſt ſuperior pars ædium, in qua veteres cœnare ſolebant. *Varro lib. 4. de ling. lat.*

Ad §. Adverſus.

Adverſus capſarios (a) *quoque, qui mercede, ſervanda in balneis veſtimenta ſuſcipiunt, Judex eſt conſtitutus: ut ſi quid n ſervandis veſtimentis fraudulenter admiſerint, ipſe cognoſcat.*

a *ADverſus capſarios*. Capſarios eſſe eos, qui mercede, ſervanda in balneis veſtimenta ſuſcipiunt, Paulus ſcribit hoc loco. Dicuntur alia ſignificatione capſarii, qui pueris euntibus in ſcholam libros portant. *l. Si collactaneus 13. ff. de manumiſ. vindic. Suetonius in Nerone*: Conſtat quoſdam cum pædagogis, & capſariis uno prandio pariter necatos.

Lex

Lex IV. Ulpianus lib. ſingulari de Officio Præfecti Urbi.

Imperatores Severus, & Antoninus Junio Rufino Præfecto Vigilum ita reſcripſerunt: Inſularios, (a) *& eos, qui negligenter ignes apud ſe habuerint, potes fuſtibus,* (b) *vel flagellis cædi jubere: eos autem, qui dolo feciſſe incendium convincentur, ad Fabium Cilonem Præfectum Urbi, amicum noſtrum remittes,* (c) *fugitivos* (d) *conquirere eoſque dominis reddere debes.*

a Inſularios. Inſularius dicitur Cuſtos Inſulæ, ſeu domus ſeparatæ ab aliis ædificiis, *l. Si ita legatus* 17. §. 1. *ff. de uſu & habit.* In Inſulis enim Romani pretioſiſſimam partem fortunarum ſuarum reponere ſoliti erant: quod à furibus, & incendiis eſſent tutiores, *l.* 3. §. *Effracturæ ff. h. t.*

b *Potes fuſtibus, vel flagellis cædi jubere.* Si ſint tenuiores homines: Nam honeſtiores his pœnis non adficiuntur, *l. capitalium* 28. §. *non omnes ff. de pœnis.*

c *Remittes.* Ut ille graviorem pœnam imponat, *l.* 3. §. 1. *ff. h. t.*

d *Fugitivos conquirere*, *l.* 1. §. *ult. ff. de ſer. fugit.*

De Officio Proconſulis (a) *& legati.*

TITULUS DECIMUSSEXTUS.

Lex Prima. Ulpianus lib. 1. Diſputationum.

Proconſul ubique quidem proconſularia (b) *inſignia habet ſtatim atque Urbem egreſſus eſt: poteſtatem autem* (c) *non exercet, niſi in ea Provincia ſola, quæ ei decreta eſt.*

a De *Officio Proconſulis, &c.* Initio quos in provincias mittebat Senatus, hi Proconſules dicti ſunt, quòd

cum imperio Conſulari mittebantur. Dabantur his Legati, quibus ſcilicet mandarent Juriſdictionem ſuam. Non enim legatos ſuo ſibi judicio deligabant. *Cuiac. hic in Paratit.*

b *Proconſularia inſignia.* Faſces, lictores, ſecures, prætexta, ſella curulis.

c *Poteſtatem autem non exercet.* Exercet tamen Juriſdictionem voluntariam; *l. 2. h. t.*

Lex II. Marcianus lib. 1. Inſtitutionum.

Omnes Proconſules ſtatim, quàm Urbem egreſſi fuerint, habent juriſdictionem: ſed non (a) *contentioſam* (b), *ſed voluntariam: ut ecce manumitti apud eos poſſunt tam liberi* (c), *quàm ſervi, & adoptiones fieri.*

a SED *non.* In aliis: non tamen.

b *Non contentioſam, ſed voluntariam.* Quia contentioſa Tribunal exigit: voluntaria exercetur de plano. *Cuiac. in Expoſ. Novellæ 95.*

c *Tam liberi*: Filiifamilias.

Ad §. Apud legatum.

Apud legatum verò Proconſulis nemo manumittere (a) *poteſt, quia non* (b) *habet Juriſdictionem talem.*

a NEmo *manumittere poteſt.* Immo & apud legatum Proconſulis manumittere poſſunt, *l. Apud Proconſulem 17. ff. de manumiſſ. vind. Cuiac. Obſervat. lib. 1. cap. 1.* auctoritate duorum ſcriptorum librorum, *d. l. 17. addit negat.*

b *Quia non habet Juriſdictionem talem.* Omninò enim non eſt apud eum legis actio; *l. 3. h. t.*

Lex III. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

Nec adoptare (a) *poteſt, omninò enim non eſt apud eum legis actio.*

a *Nec*

a NEC *adoptare poteſt*. Apud legatum Proconſulis nemo adoptare poteſt. Adoptio enim eſt Actus legitimus, ſeu legis Actio. Omninò autem non eſt apud Legatum Proconſulis Legis Actio, ut hic in textu. Legis Actiones ſolemnitatem Juris deſiderant, & fiunt certis conceptiſque verbis. Et hodie Verba ſolemnia, licèt non dicantur, ut dicta accipiuntur, *l. Manumiſſio 23. ff. de manumiſſ. vindic.*

Lex IV. Idem lib. 1. de Officio Proconſulis.

Obſervare (a) *autem Proconſulem oportet, ne hoſpitiis præbendis oneret Provinciam: ut Imperator noſter cum patre, Aufidio Severiano reſcripſit.*

a OBſervare autem, &c. Curare debet Proconſul quantum poteſt, ne ſupra id quod neceſſe eſt in hoſpitiis præbendis oneret Provinciam.

Ad §. Nemo.

Nemo (a) *Proconſulum ſtratores* (b) *ſuos* (c) *habere poteſt: ſed vice eorum milites miniſterio in provinciis funguntur.*

a NEMO *proconſulum, &c.* Proconſules non poſſunt Stratores habere proprios, & domeſticos. *Vide Cuiac. Obſervat. lib. 11. cap 1.*

b *Stratores*. Nihil refert ſtratores dixeris an ſtatores. Hi erant in officio Præſidum aut Proconſulum. Eis dabantur nonnunquam Rei cuſtodiendi. At proprium horum munus eſt equum freno tenere, & conſcendenti Magiſtratui opem ferre. Item equos militares probare, qui à provincialibus conferuntur. *Cuiac. in Comment ad Tit. C. de Stratoribus lib. 12.*

c *Suos*. Suorum nomine, hoc loco etiam ſervi ſignificantur.

Ad §. Proficiſci.

Proficiſci autem Proconſulem melius quidem eſt ſine uxore: ſed & cum uxore poteſt: dummodo ſciat Senatum Cotta, & Meſſala Conſulibus, cenſuiſſe futurum, ut ſi quid uxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis ratio (a), *& vindicta exigatur.*

a AB *ipſis ratio, & vindicta exigatur.* Hoc eſt ſpeciale in his, qui ad officia proficiſcuntur. Regulariter enim maritus pro uxore non teneatur, *l.* 3. *C. ne uxor pro marito, &c.*

Ad §. Antequam verò.

Antequam verò fines provinciæ decretæ ſibi Proconſul ingreſſus ſit: edictum debet de adventu ſuo mittere continens (a) *commendationem aliquam ſui: Si qua ei familiaritas ſit cum provincialibus, vel conjunctio, & maximè* (b) *excuſantis, ne publicè, vel privatim occurrant ei: eſſe enim congruens, ut unuſquiſque in ſua patria eum exciperet.*

a COntinens *commendationem aliquam ſui.* Ad benevolentiam captandam hoc fieri debet, non ad oſtentationem. *Fab.*

b *Et maximè excuſantis.* Aliàs: Et maximè recuſando.

Ad §. Rectè autem.

Rectè autem & ordine faciet, ſi edictum deceſſori ſuo miſerit: ſignificetque, qua die fines ſit ingreſſurus: plerunque enim incerta hæc, & inopinata turbant provinciales, & actus (a) *impediunt.*

a ET *actus impediunt.* Impediunt quæ aguntur in Provincia, publicè, vel privatim. *Baro hic.*

Ad

Ad §. Ingreſſum.

Ingreſſum etiam hoc eum obſervare oportet, ut per eam partem Provinciam ingrediatur, per quam ingredi moris eſt, & (quas Græcia ἐπιδημίας, *ideſt, acceſſus* (a) *ad Urbem, appellat, ſive* κατάπλουν, *ideſt, ad navigationem* (b)) *obſervare, in quam primùm civitatem veniat vel applicet, magni enim facient provinciales, ſervari ſibi conſuetudinem iſtam, & hujuſmodi prærogativas. Quædam Provinciæ etiam hoc habent, ut per mare in eam Provinciam Proconſul veniat: ut Aſia, ſcilicèt uſque adeò, ut Imperator noſter Antoninus Auguſtus ad deſideria* (c) *Aſianorum reſcripſit, Proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare,* καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον, *Ideſt, & inter matrices* (d) *Urbes Epheſum primam attingere.*

a *Deſt acceſſus ad Urbem.* Eſt enim Epidemia acceſſus ad civitatem aliquam obſervari plerumque ſolitus.
b *Ideſt, ad navigationem.* Ideſt, Portum.
c *Ad deſideria Aſianorum reſcripſit, &c.* Provincialium enim animos captabant Romani maxima cura, ut eos non tam metu, quàm officiis & amore retinerent. *Felt. hic.*
d *Matrices urbes.* Sive Provinciarum capita.

Ad §. Poſt hæc.

Poſt hæc ingreſſus Provinciam, mandare Juriſdictionem legato ſuo debet (a): *Nec hoc* (b) *antè facere, quàm fuerit Provinciam ingreſſus. Eſt enim per quàm abſurdum, antequàm ipſe Juriſdictionem nanciſcatur (nec enim prius* (c) *ei competit, quàm in eam provinciam venerit) alii eam mandare, quam non habeat, ſed ſi & ante fecerit, & ingreſſus provinciam in eadem voluntate fuerit, credendum eſt, videri legatum habere* (d) *Juriſdictionem, non exinde, ex quo mandata eſt, ſed ex quo Provinciam Proconſul ingreſſus eſt.*

a *De-*

a Debet. *Si vult, l. 6. §. 1. ff. b. t.* Hic ergo, debet, ponitur pro, poteſt.

b *Nec, hoc antè facere, &c.* Niſi neceſſariam moram in itinere patiatur, *l. Aliquando 5. ff. b. t.*

c *Nec enim priùs ei competit, &c.* Non cõpetit ei priùs contentioſa Juriſdictio, ſed voluntaria tantùm, *l. 2. in princ. ff. b. t.*

d *Habere Juriſdictionem.* Quaſi ex nova voluntate.

Lex V. Papinianus lib. 1. Quæſtionum.

Aliquando mandare (a) *Juriſdictionem Proconſul poteſt, etſi nondum in Provinciam pervenerit: quid enim ſi neceſſariam moram in itinere patiatur, maturiſſimè autem Legatus in Provinciam perventurus ſit.*

a Aliquando *mandare Juriſdictionem, &c.* Proconſul, ante quàm fuerit Provinciam ingreſſus, non debet Juriſdictionem legato ſuo mandare, *l. 4. §. ult. ff. b. t.* Aliquando tamen fallit hæc regula, veluti ſi neceſſariam moram in itinere patiatur Proconſul, maturiſſimè autem legatus in provinciam perventurus ſit, hac noſtra *l. 5.*

Lex VI. Ulpianus lib. 1. de Officio Proconſulis.

Solent etiam (a) *cuſtodiarum cognitionem mandare legatis: ſcilicèt ut præauditas cuſtodias ad ſe remittat, ut innocentem* (b) *ipſe liberet, ſed hoc genus mandati extraordinarium eſt; nec enim poteſt* (c) *quis gladii* (d) *poteſtatem ſibi datam, vel cujus alterius* (e) *coercitionis ad alium* (f) *transferre: nec liberandi* (g) *igitur reos jus, cùm accuſari apud eum non poſſint.*

a Solent *etiam cuſtodiarum, &c.* Cuſtodias pro reis in cuſtodiam datis hic accipe, *l. Milites 12. ff. de cuſtodia & exhib. reor. l. cuſtodias 12. de pub. Jud. l. Unius facinoris 18. §. Cogniturum ff. de quæſtionib.* Id autem Cuſtodiarum audiẽdarum genus mandati, de quo hic, olim erat extraordinariũ,

hodie verò poſt epiſtolam Cónſtantini in *l.* 1. *Cod. eod.* eſt ordinarium: & ideo ſpecialiter mandari non oportet, ſed generali mandata Juriſdictione tranſit. Condemnationem tamen atque adeò liberationem cuſtodiarum Proconſuli reſervare debet legatus. *Pet. Fab. ad l. nemo poteſt* 70. *ff. de reg. Jur. ante med.* Vel forſan verius, hoc genus mandati, quo legatus Proconſulis criminales cauſas audit, etiam hodie, extraordinarium eſſe, & ſpecialiter eam cognitionem mandari oportere.

b *Ut innocentem ipſe liberet*. Vel condemnet nocentem.

c *Nec enim poteſt quis, &c. l. Nemo poteſt* 70. *ff. de reg. Jur.* Ubi in meis Comment. hanc Regulam plenè explicavi.

d *Gladii poteſtatem*. Gladii poteſtas hoc loco eſt Jus vitæ adimendæ: Quamvis omnes alioquin meri Imperii ſpecies, ſeu partes deſignare ſoleat gladii poteſtas generaliter accepta.

e *Vel cujus alterius coercitionis*. Vel Jus aliter puniendi. Puta in metallum damnandi, deportandi, relegandi, verberandi, confiſcandi. Nam hæc etiam continet merum Imperium.

f *Ad alium transferre*. Non poteſt merum Imperium alteri mandari: quia non Jure Magiſtratus competit, ſed ſpecialiter lege datur. *l.* 1. *ff. de offic. ejus, &c. Vide notata à me ad d. l.* 70. *ff. de reg. Jur.*

g *Nec liberandi igitur reos jus, &c.* Senſus eſt: Proconſul non poteſt transferre jus liberandi reos, in Legatum, cùm apud ipſum legatum accuſari non poſſint. *Ægid. Per.*

Ad §. Sicut autem.

Sicut autem mandare Juriſdictionem, vel non mandare, eſt in arbitrio Proconſulis: ita adimere (a) *mandatam Juriſdictionem licet quidem Proconſuli: non autem* (b) *debet, inconſultò Principe, hoc facere.*

a ITa *adimere mandatam Juriſdictionem, &c.* Ejus enim eſt adimere, cujus eſt dare, *l. ult. §. ult. ff. de legatis* 3.

b *Non autem debet, &c.* Ex honeſtate. *gl. hic.*

Ad §. Legatos.

Legatos non oportet Principem conſulere, ſed Proconſulem ſuum: & is ad conſultationes legatorum (a) *debebit reſpondere.*

a DEbebit reſpondere. Debebit Proconſul reſpondere Legatis de Jure dubitantibus, non de facto conſulentibus. *arg. l. Eum quem* 79. *§. Judicibus ff. de Judiciis.*

Ad §. Non verò.

Non verò in totum Xeniis (a) *abſtinere debet Proconſul, ſed modum adjicere: neque moroſè in totum abſtineat, neque avarè modum Xeniorum excedat, quam rem Divus Severus, & Imperator Antoninus elegantiſſimè Epiſtola ſunt moderati, cujus Epiſtolæ verba hæc ſunt: Quantum ad Xenia pertinet: audi, quid ſentimus: Vetus proverbium eſt,* οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτι παρὰ πάντων, *ideſt, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus. Nam valde inhumanum eſt, à nemine accipere: ſed paſſim, viliſſimum eſt: & omnia, avariſſimum. Et quod mandatis continetur, ne donum vel munus ipſe Proconſul, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematve* (b) *quid niſi victus quotidiani cauſa, ad Xeniola nonpertinet, ſed ad ea, quæ edulium excedant uſum. Sed nec Xenia* (c) *producenda ſunt ad munerum qualitatem.*

a XEniis. Xenia propriè ſunt hoſpitum munera, quæ ſcilicèt hoſpitibus extraneis advenientibus, in gratiam, & teſtificationem læti adventus, dantur. Ideoque Ulpianus, hoc loco, Munera, quæ provincialibus Magiſtratibus, eorumque comitibus dari ſolent, Xenia appellat.

b *Emát-*

b *Emátve quid*. Ne ob metum imperii vilius comparet ſibi res à provincialibus.

c *Sed nec Xenia producenda ſunt, &c.* Hoc eſt, munuſculorum prætextu quæſito, non ſunt aucupanda munera, quæ ſumptu onerare provinciales poſſint. Bud.

Lex VII. Idem lib. 2. de Officio Proconſulis.

Si in aliam (a) *quam celebrem civitatem, vel Provinciæ caput advenerit: pati debet commendari ſibi civitatem, laudeſque ſuas non gravatè* (b) *audire: cùm honori* (c) *ſuo provinciales id vindicent: & ferias ſecundum mores* (d) *& conſuetudinem, quæ retrò obtinuit, dare.*

a *SI in aliam quam celebrem*. In vulgatis legitur: Si in aliquam celebrem.

b *Laudeſque ſuas non gravatè audire*. Nam Virtus laudata creſcit.

c *Cum honori ſuo, &c.* Provinciales honori ſuo vindicant laudare Proconſulem.

d *Et ferias ſecundum mores & conſuetudinem, &c.* Novas verò dare non poteſt. *l. à nullo 4. C. de feriis.*

Ad §. Ædes ſacras.

Ædes ſacras, & opera publica circumire inſpiciendi gratia, an ſarta (a) *tectaque ſint, vel an aliqua refectione indigeant: & ſi qua cœpta ſunt, ut conſummentur, prout vires* (b) *ejus Reipublicæ permittunt, curare debet: Curatoreſque operum diligentes ſolemniter præponere: miniſteria* (c) *quoque militaria, ſi opus fuerit, ad curatores adjuvandos dare.*

a *AN ſarta tectaque ſint*. An ſint integra & incorrupta ac tuta. Bud.

b *Prout vires ejus Reipublicæ permittunt*. Debet igitur ſpectare Proconſul, non ſolùm quid bonum ſit per ſe, ſed

quid vires ejus Reipublicæ pro temporum ratione permittant.

c *Miniſteria quoque militaria, &c.* Ideſt, miniſtros militares ut leventur erogatione mercedis provinciales.

Ad §. Cùm pleniſſimam.

Cùm pleniſſimam (a) *autem juriſdictionem Proconſul habeat: omnium partes* (b), *qui Romæ, vel quaſi Magiſtratus, vel extra* (c) *ordinem Jus dicunt, ad ipſum pertinent.*

a CUM *pleniſſimam autem Juriſdictionem, &c.* Juriſdictio in genere ſumpta continet, tamquam ſpecies, ſub ſe Imperium merum & Juriſdictionem in ſpecie. Proconſul ergo, cùm habeat pleniſſimam Juriſdictionem, habet etiam Imperium merum. Ex Fab.

b *Omnium partes, qui Romæ, &c.* De omnibus enim negociis cognoſcit Proconſul in ſua provincia, de quibus per partes cognoſcunt Romæ Magiſtratus: alius de Tutelis, alius de Fideicommiſſis, alius de publicis criminibus, &c. Baro.

c *Vel extra ordinem Jus dicunt.* Qui Magiſtratus ordinarii non ſunt, ſed ut res poſtulat, & negociorum multitudo, extra ordinem accipiunt poteſtatem. Idem Baro.

Lex VIII. Idem lib. 39. ad Edictum.

Et ideò majus (a) *imperium in ea Provincia habet omnibus* (b), *poſt Principem.*

a ET *ideò majus imperium, &c.* Idem dicitur de Præſide Provinciæ in *l. Præſes Provinciæ* 4. *ff. de offic. Præſid.*

b *Omnibus poſt Principem. Vide Eguin. Baron. hoc eod. loco.*

Lex IX. Idem lib. 1. de Officio Proconſulis.

Nec quidquam (a) *eſt in provincia, quod non per ipſum expedia-*

diatur. Sanè ſi fiſcalis pecuniaria cauſa ſit, quæ ad procuratorem Principis reſpicit: melius fecerit (b), *ſi abſtineat.*

a NEc *quidquam, &c.* Non eſt quidquam in Provincia, quod per Proconſulem non expediatur.

b *Melius fecerit, ſi abſtineat.* Ne injuriam faciat Principis Procuratori, qui de hujuſmodi cauſis ſpecialem Juriſdictionem habet.

Ad §. Ubi decretum.

Ubi decretum (a) *neceſſarium eſt, per libellum id expedire Proconſul non poterit: omnio enim, quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum* (b) *non poſſunt expediri.*

a UBi *decretum, &c.* Ubi decretum neceſſarium eſt, non poteſt Proconſul per libellum id expedire: Omnia enim, quæcunque cauſæ cognitionem, ſive decretum deſiderant, per libellum, ſive de plano expediri non poſſunt, ſed expediri debent pro Tribunali. *Tex. hic, l. Omnia quæcunque* 71. *ff. de reg. Jur.* E. g. Tutoris datio, confirmatio, excuſatio, remotio, quia cauſæ cognitionem, ſive decretum deſiderant: per libellum ſive de plano expediri non poſſunt, *l. Naturali filio* 7. *ff. de confir. tut. l. excuſare* 28. *ff. de excuſ. tut. l. hæc enim* 4. *ff. de ſuſpect. tut.* Similiter alienatio rerum minoris, quia decretum deſiderat, ſubſcriptione ad libellum non permittitur, *l. Minorum* 6. *C. de præd. & aliis reb. minor.* Idem Juris eſt in reſtitutione in integrum, *l. Verùm* 12. *§. Sciendum eſt ff. de Minoribus. Ex meis Comment. ad leges Tit. ff. de reg. Jur. ad l.* 71.

b *Per libellum non poſſunt expediri.* Non poſſunt expediri per libellum ſupplicem Proconſuli porrectum, & ab eo reſpondente ſubſcriptum.

Ad §. Circa advocatos.

Circa advocatos patientem eſſe Proconſulem oportet, ſed cum in-

ingenio (a), *ne contemptibilis videatur: nec adeò diſſimulare, ſi quos cauſarum concinnatores* (b), *vel redemptores* (c) *deprehendat: eoſque ſolos pati poſtulare, quibus per edictum ejus poſtulare permittitur.*

a SEd cum ingenio. Debet enim Magiſtratus ingenio ſuo augere auctoritatem dignitatis, *l. Obſervandum* 19. §. 1. *ff. de officio Præſid.*

b *Cauſarum concinnatores.* Ideſt, litium architecti, fabricatores, ſtructores: qui lites calumnioſè componunt.

c *Vel redemptores.* Cauſarum redemptores dicuntur qui litium anfractus mercantur: ſeu qui conducunt cauſas agendas, & certam pecuniam paciſcuntur.

Ad §. De plano.

De plano (a) *autem Proconſul poteſt expedire hæc: ut obſequium parentibus, & patronis, liberiſque patronorum exhiberi jubeat: comminari etiam, & terrere* (b) *filium à patre oblatum, qui non ut oportet, converſari dicatur. Poterit de plano ſimiliter, & libertum non obſequentem emendare aut verbis, aut fuſtium caſtigatione.*

a DE plano autem, &c. Quæ per libellum, ſeu ſummatim, non pro Tribunali, expediuntur, dicuntur expediri de plano, ideſt, ex æquo loco: veluti unde Magiſtratus in Tribunal, quod editiore in loco poſitum eſt, conſcendunt. Solent enim magiſtratus leviores lites, vel antequàm aſcendant Tribunal, vel ubi deſcenderint, de plano dirimere. Itaque hæc opponuntur, de plano & pro Tribunali. *l.* 3. §. *Si cauſa cognita ff. de bonor. poſſeſs. l.* 2. §. *Dies ff. Quis ordo in bon. poſſeſs. ſerv.*

b *Et terrere filium.* Ut territus redeat converſari ut oportet.

Ad

Ad §. Obſervare.

Obſervare itaque eum oportet, ut ſit ordo (a) *aliquis poſtulantium, ſcilicèt ut omnium deſideria audiantur, nè fortè, dum honori poſtulantium datur, vel improbitati creditur, mediocres deſideria ſua non proferant: qui aut omninò non adhibuerunt, aut minus* (b) *frequentes, neque in aliqua* (c) *dignitate poſitos advocatos ſibi proſpexerunt.*

a UT *ſit ordo aliquis poſtulantium*. Propter rationes, quæ in textu ſequuntur. Et generaliter quia omnia ordinatè fieri debent, ut fiant benè.

b *Aut minus frequentes*. Ideſt, Incelebres, nec à multis clientibus adhiberi ſolitos.

c *Neque in aliquâ dignitate poſitos*. Qui nec ſplendoris, famæ, aut exiſtimationis ſint apud eos, qui in foro verſantur. Felt.

Ad §. Advocatos quoque.

Advocatos quoque petentibus debebit (a) *indulgere, plerumque fœminis, vel pupillis, vel aliàs debilibus, vel his, qui ſuæ mentis non ſunt, ſi quis eis petat: vel ſi nemo ſit, qui petat, ultrò eis dare debebit. Sed & ſi quis per potentiam adverſarii non invenire ſe advocatum dicat, æquè oportebit ei advocatum dare. Cæterum opprimi aliquem per adverſarii ſui potentiam non oportet, hoc enim etiam ad invidiam* (b) *ejus, qui Provinciæ præeſt, ſpectat: ſi quis tam* (c) *impotenter ſe gerat, ut omnes metuant adverſus eum advocationem ſuſcipere.*

a D*Ebebit indulgere, l. 1. §. ait prætor ff. de Poſtulando.*

b *Ad invidiam ejus*. Ad odium ei conciliandum, quaſi nollet, aut inopia animi non auderet arcere violentiam potentiorum.

c *Tam impotenter*. Tam immoderata potentia utatur. *Baro*.

Ad §. Quæ etiam.

Quæ etiam omnium (a) *Præſidum communia ſunt: & debent & ab his obſervari.*

a QVÆ *etiam omnium Præſidum, &c.* Præſidis nomen generale eſt. Nam, Proconſul Præſes eſt: ſed non omnis Præſes eſt Proconſul, *l. 1. ff. de offic. Præſidis.*

Lex X. Idem lib. 10. de officio Proconſulis.

Meminiſſe oportebit, uſque ad adventum ſucceſſoris omnia debere Proconſulem agere, cùm ſit unus (a) *Proconſulatus, & utilitas Provinciæ exigat eſſe aliquem, per quem negotia ſua provinciales explicent, ergo* (b) *in adventum ſucceſſoris debet Jus dicere.*

a CVM *ſit unus Proconſulatus.* Nota officium unum eſſe, licèt per vices multi eo fungantur. Neque Proconſulatus, vel Prætura finitur, ſed hujus, vel illius adminiſtratio. Quocirca ſi Proconſuli Aſiæ mandetur negotium, is expediet, qui tum Proconſul non erat, ſed nunc eſt. *Baro.*

b *In adventum.* Ideſt, uſque ad adventum, ut in princ. legis.

Ad §. Legatum.

Legatum (a) *ſuum ne ante ſe de Provincia dimittat, & lege Julia repetundarum, & reſcripto Divi Hadriani ad Calphurnium Rufum Proconſulem Achaiæ admonetur.*

a LEgatum *ſuum, &c.* Proconſul non debet Legatum ſuum ante ſe de Provincia dimittere. h. d. Datur enim legatus Proconſuli à Cæſare; ut tandiu ſit Legatus Proconſulis, quandiu ille Proconſul. *Fab. hic.*

Lex

Lex XI. Venulejus Saturninus lib. 2. de Officio Proconſulis.

Si quid erit, quod majorem (a) *animadverſionem exigat: reiicere legatus ad Proconſulem debet: neque enim animadvertendi,* (b) *coercendi, vel atrociter* (c) *verberandi jus habet.*

a *SI quid erit, quod majorem animadverſionem exigat, &c.* Quod majorem animadverſionem exigit, eſt meri Imperii, *l. 3. ff. de Juriſdictione omn. Jud.* & legato negatum, *l. Solet etiam 6. in princ. ff. h. t.* Ideoque id reiicere legatus ad Proconſulem debet, ut hic in textu.

b *Neque enim animadvertendi, &c.* Hæc ſunt meri Imperii. More autem majorum, transferri quidem Juriſdictio poteſt, ſed Imperium, quod eſt merum, tranſire non poteſt, *l. 1. §. Qui mandatam ff. de offic. ejus, &c.*

c *Vel atrociter verberandi.* Flagellis ſcilicet. *Briſſon. Select. Antiq. lib. 3. cap. 9. in fine.* Modica tamen coercitio legato permiſſa eſt, *l. 1. in fine, & l. ult. §. ult. ff. de offic. ejus, &c.*

Lex XII. Paulus lib. 2. ad Edictum.

Legatus, mandata ſibi Juriſdictione, Judicis dandi (a) *jus habet.*

a *JUdicis dandi jus habet. l. Cùm Prætor 12. §. 1. ff. de Judiciis.* Sunt, qui hoc loco ſcribant: Jus non habet: Sed negatio hic non legitur in Pand. Flor. maleque hic addita. Neque obſtat, *l. A Judice 5. C. de Judiciis.* Ubi dicitur, quòd à Judice Judex delegatus, Judicis dandi poteſtatem non habet. Nam R., quòd alia ratio eſt legati Proconſulis, alia Judicis dati ſive delegati. Judex enim datus nullam Juriſdictionem habet, proinde ne ſuam quidem ſententiam exequi poteſt, *l. à Divo Pio 15. in princ. ff.*

 de re

de re jud. Legatus autem Proconſulis non tantùm Juriſdictionem mandatam habet; ſed etiam propria quædam ſibi ſpecialiter à Jure conceſſa poſtquàm mandatam Juriſdictionem ſuſcepit, *l. legati 13. ff. de offic. Proconſ. ut Jus dandi Judicis. d. l. cùm prætor 12. §. 1. ff. de Judiciis. Pac. Leg. Concil. Cent. 1. q. 49.*

Lex XII. Pomponius lib. 10. ad Quintum Mucium.

Legati (a) *Proconſulis nihil proprium habent, niſi à Proconſule eis* (b) *mandata fuerit Juriſdictio.*

a LEgati Proconſulis. Dabantur enim quandoque Proconſuli plures legati.

b *Niſi à Proconſule eis mandata fuerit Juriſdictio.* Si ergo à Proconſule eis mandata fuerit Juriſdictio aliquid proprium habent. Unde ex hac lege videtur poſſe defendi, legatum Proconſulis Juriſdictionem habere propriam poſtquam ei à Proconſule mandata fuit Juriſdictio. Quod etiam poteſt confirmari quia à legato Proconſul appellatur, *l. 2. ff. Quis & à quo appelletur. Cuiac. Obſervat. lib. 7. cap. 21. Vide eund. Cuiac. ad d. l. 2.* Ubi in Summa ait: hoc ſpeciale eſſe in legatis Proconſulis, ut ab ipſis ad Proconſulem provocetur. Nam legati Proconſulis non eliguntur judicio Proconſulis, ſed Reipublicæ.

Lex XIV. Ulpianus lib. 20. ad Legem Juliam, & Papiam.

Proconſules (a) *non ampliùs quàm ſex faſcibus utuntur.*

a PRoconſules, &c. Proconſules non ampliùs quàm ſex faſcibus utuntur. Conſules verò, quia bini erant, duodecim faſces habebant. Faſces faſciculi erant virgarum, intra quos ſecuris obligata erat, ita ut ferrum in ſummo faſce extaret. Hos autem faſces Lictores Magiſtratibus

bus præferebant, ideſt, Magiſtratuum viatores. Et Virgæ colligatæ adnexis ſecurribus ferebantur ut intelligeretur Magiſtratuum iram promptam ac ſolutam minimè eſſe debere. Et quoniam facinoroſi partim ſunt emendabiles, partim perditiſſimi, ut virgæ admonendis illis, ſic ſecures his tollendis de medio inſtitutæ fuerunt. *Bud. ad noſtram legem.*

Lex XV. Licinius Rufinus lib. 3. Regularum.

Et legati (a) *Proconſulum tutores dare poſſunt.*

a ET *legati Proconſulum, &c.* Tutoris datio neque imperii eſt, neque juriſdictionis: Sed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatus conſultum, vel Princeps, *l. Muto 6. §. Tutoris datio ff. de Tutelis.* Ideòque legatus Proconſulis, non vi Juriſdictionis ſibi mandatæ à Proconſule, ſed ex Oratione Divi Marci Tutorem dare poteſt, *l. 1. §. 1. ff. de Tutor. & curat. dat. ab iis, &c.*

Lex XVI. Ulpianus lib. 2. ad Edictum.

Proconſul portam Romæ ingreſſus, deponit (a) *imperium.*

a DEponit *imperium.* Deponit Inſignia magiſtratus, & voluntariam Juriſdictionem. *Gl. hic, & Cuiac. in Expoſit. Novellæ 95.*

De Officio Præfecti (a) *Auguſtalis.*

TITULUS DECIMUSSEPTIMUS.

Lex Prima. Ulpianus lib. 15. ad Edictum.

Præfectus Ægypti non priùs (b) *deponit Præfecturam, & Imperium, quod ad ſimilitudinem Proconſulis, lege ſub Auguſto ei*

 datum

datum eſt, quàm Alexandriam ingreſſus ſit ſucceſſor ejus, licèt in Provinciam venerit, & ita mandatis ejus continetur.

a DE *Officio Præfecti Auguſtalis.* Præfectus Auguſtalis eſt qui in Ægypti Provinciam mittebatur Proconſulari poteſtate. Præfectus Ægypti. Dictus Auguſtalis, quòd Ægypto in Provinciam redacta, ei regendæ primùm ſit ab Auguſto conſtitutus.

b *Præfectus Ægypti non priùs deponit Præfecturam, &c.* Proconſul verò deponit Proconſulatum ſtatim atque ſucceſſor in provinciam venit; *l. Meminiſſe* 10. *in princ. ff. de offic. Proconſ.* Videtur tamen hoc privilegium, non tàm Præfecto Alexandriæ, aut Ægypti, quàm ipſi Civitati Alexandriæ datum eſſe. *Fab. hic.*

De Officio Præſidis.

TITULUS DECIMUSOCTAVUS.

Lex Prima. Macer lib. 1. de Officio Præſidis.

Præſidis (a) *nomen generale eſt: eoque & Proconſules, & legati Cæſaris, & omnes provincias regentes, licèt Senatores* (b) *ſint, Præſides appellantur: Proconſulis* (c) *appellatio ſpecialis eſt.*

a PRæſidis nomen, *&c.* Præſidis nomen generale eſt, Proconſulis ſpeciale. Ergo quod dicitur de Præſidibus, tanquàm de genere, dici etiam poterit de Proconſule, tanquam de ſpecie: ſed non contra. *Fab. hic.*

b *Licèt Senatores ſint.* Sunt qui legendum exiſtimat: licèt Senatores non ſint: Ut equites ſignificentur.

c *Proconſulis appellatio ſpecialis eſt.* Auguſtus Provincias partitus quaſdam Senatui populoque Romano reliquit, quaſdam ſibi retinuit. Poſt hanc igitur diviſionem,

quos

quos in Provincias mittebat Senatus, hi Proconſules dicebantur, ut anteà: Quos verò in Provincias mittebat Princeps, hi propriè Præſides appellabantur, vel legati Cæſaris.

Lex II. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

Præſes apud ſe adoptare (a) *poteſt, quemadmodum & emancipare* (b) *filium, & manumittere* (c) *ſervum poteſt.*

a PRæſes apud ſe adoptare poteſt. Et ſi filiusfamilias ſit, poteſt apud ſemetipſum, vel emancipari, vel in adoptionem dari. *l. 3. ff. de adop.*

b *Quemadmodum & emancipare filium.* Et in adoptionem dare, *l. Magiſtratum 4. ff. de adop.*

c *Et manumittere ſervum. Facit l. An apud ſeſ. ff. de manumiſſ. vindic.*

Lex III. Paulus lib. 13. ad Sabinum.

Præſes Provinciæ in ſuæ Provinciæ homines tantùm Imperium habet: & hoc, dum in Provincia eſt: nam ſi exceſſerit, (a) *privatus eſt. Habet interdum* (b) *Imperium & adverſus extraneos homines, ſi quid* (c) *manu commiſerint. Nam & in mandatis Principum eſt, ut curet is* (d) *qui provinciæ præeſt, malis hominibus Provinciam purgare: nec diſtinguitur* (e) *unde ſint.*

a NAm ſi exceſſerit, privatus eſt. Præterquam in his, quæ Juriſdictionis ſunt voluntariæ. Nam hæc extra provinciam eum poſſe expedire communiter placuit, *Arg. l. 2. ff. de offic. proconſ.* Quod tamen rectè impugnatur à Cujac. *ad l. ult. ff. de Juriſdic.*

b *Habet interdum imperium, &c.* Præſes habet imperium adverſus extraneos homines, ſi in ſua Provincia deliquerint.

c *Si quid manu.* Videtur legendum: Si quid mali.

d *Ut*

d *Ut curet is, qui Provinciæ præeſt, &c. Facit l. Curare 13. ff. h. t. & Novella 17. cap. 2.*

e *Nec diſtinguitur, unde ſint. l. 1. C. Ubi de crimine agi opor. & A. Qua in Provincia C. eod.*

Lex IV. Ulpianus lib. 39. ad Edictum.

Præſes Provinciæ (a) *majus imperium in ea provincia habet omnibus poſt Principem.*

a PRæſes Provinciæ majus imperium, &c. Idem dicitur de Proconſule *in l. Et ideo 8. ff. de Officio Proconſ.* Ad hanc noſtram legem facit *l. ex omnibus 10. cum duab. ſeq. ff. h. t.*

Lex V. Idem lib. 1. de omnibus Tribunalibus.

Præſes Provinciæ (a) *non magis tutorem, quàm ſpecialem judicem, ipſe ſe dare poteſt.*

a PRæſes Provinciæ non magis tutorem, &c. Facit l. ult. ff. de Offic. Præt. Vide not. à me ibidem.

Lex VI. Idem lib. 1. Opinionum.

Illicitas exactiones, & violentia factas, & extortas (a) *metu venditiones, & cautiones, vel ſine prætii numeratione prohibeat Præſes provinciæ. Item ne quis iniquum* (b) *lucrum aut damnum ſentiat, Præſes Provinciæ provideat.*

a ET extortas metu venditiones. l. ult. §. Si juſto metu ff. de eo quod met. cauſ.

b *Ne quis iniquum lucrum.* Ne quis ſentiat lucrum cum alterius detrimento & injuria. *l. Jure naturæ 206. ff. de reg. Jur.*

Ad §. Veritas.

Veritas (a) *rerum erroribus geſtarum non vitiatur, & ideo* Præ-

Præſes Provinciæ id ſequatur, quod convenit cum ex fide eorum quæ probabuntur.

a VEritas rerum, &c. Si de re qua de agitur liqueat Judici, longè aliter quàm conſtet probationibus, vel etiam ſi probationes deficiant, res cognita compertaque ſit Judici, quæſtio eſt, oporteatne judicem ſecundum ea quę ſciverit judicare, an ſecundum ea quæ aguntur, quæquę producuntur in Judicium. Et tractari à Doctoribus ſolet ea quæſtio in hoc noſtro §., in quo tamen nihil invenias quod poſſis ad eam quæſtionem accommodare, nec enim confertur hoc loco ſcientia Judicis cum probationibus prolatis in Judicium, ſed veritas rerum geſtarum confertur cum erroribus, & dicitur, quod veritas rerum geſtarum, quæ veris & idoneis probationibus confirmatur: non vitiatur erroribus. Veluti mendis teſtium, vel ſcriptorum errore. *Vide in meis Comment. ad Tit. ff. de reg. Jur. ad l. Si librarius 92.* Verùm in ea quæſtione magis placet ſententia eorum qui dicunt quod judicet Judex ſecundum ea quæ aguntur & allegantur in Judicio, non autem ſecundum ea, quæ ſciverit, ne & teſtis & judicis partes egiſſe videatur. Probandum tamen videtur hac in re, quod ſuaſere Doctores quidam, ſi religione moveatur Judex quò minus judicet contrà quàm ipſe ſciat rem ſe habere, ut perſonam Judicis in hac cauſa deponat, & ſuſcipiat teſtis, vel accuſatoris perſonam. Ex Cujac. *Obſervat.* lib. 12. cap. 19.

Ad §. Ne potentiores.

Ne potentiores (a) *viri humiliores injuriis adficiant, néve defenſores eorum calumnioſis criminibus inſectentur innocentes, ad religionem Præſidis provinciæ pertinet.*

a NE potentiores, &c. Ad Præſidem Provinciæ pertinet ne humiliores à potentioribus opprimantur. *Facit l. Nec quidquam 9. §. Advocatos quoque ff. de Offic. Proconſ.*

Ad

Ad §. Illicita.

Illicita miniſteria ſub prætextu (a) *adiuvantium militares viros ad concutiendos homines procedentia, probibere, & deprebenſa coercere Præſes provinciæ curet, & ſub ſpecie tributorum illicitas exactiones fieri probibeat.*

a Illicita miniſteria ſub prætextu, &c.* Nullum gravius malum eſt, quàm quod ſub boni ſpecie deliteſcit. Simulata pietas duplex eſt impietas, *l. 1. §. Excuſantur ff. ad Senat. Conſ. Silan. Fab. hic.*

Ad §. Neque licita.

Neque licita (a) *negotiatione aliquos probiberi, neque probibita* (b) *exerceri, neque innocentibus* (c) *pœnas irrogari, ad ſolicitudinem ſuam Præſes Provinciæ revocet.*

a *Neque licita negotiatione, &c.* Quæ ut Civitas omnis benè & beatè vivere poſſit, in primis neceſſaria eſt.

b *Neque probibita exerceri.* Illicitarum olim mercium exempla recenſet Briſſon. *Select. ex Jur. Civ. Antiq. lib. 4. cap. 4.*

c *Neque innocentibus pœnas irrogari.* Satius enim eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare, *l. Abſentem 5. ff. de pœnis.*

Ad §. Ne tenuis.

Ne tenuis vitæ bomines ſub prætextu adventus officiorum, vel militum, lumine (a) *unico, vel brevi* (b) *ſupellectili ad aliorum uſus tranſlatis, injuriis vexentur, Præſes Provinciæ providebit.*

a *Lumine unico.* Lumen unicum dixit Ulpianus pro exiguo cubiculo quod unica feneſtra tenuiter illuſtratur,

tur, quale tenues, & inopes homines habere conſueverunt. H. Quidam legendum putant, limine unico, ideſt, domuncula: In ſumma vult hoc loco Ulpianus, homines tenuis conditionis, unicum lumen, ſeu limen, ideſt, domunculam caſamue habentes brevemque ſuppellectilem, non debere cogi ad ſuſcipiendos hoſpitio milites.

b *Vel brevi ſuppellectili*. Exigua ſuppellectili.

Ad §. Ne quid.

Ne quid (a) *ſub nomine militum, quod ad utilitates eorum in commune non pertinet, à quibuſdam propria commoda iniquè vindicantibus committatur, Præſes provinciæ provideat.*

a NE *quid ſub nemine militum, &c.* Ne quis, quaſi ad uſum militum accommodaturus, aliquid extorqueat, debet præſes Provinciæ Providere..

Ad §. Sicuti medico.

Sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet: ita quod per (a) *impertiam commiſit, imputari ei debet. Prætextu enim humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium eſſe non debet.*

a ITA *quod per imperitiam, &c.* Nam imperitia in arte, culpæ adnumeratur, *l. Si quis domum 9. §. Celſus etiam ff. locati*. Ideoque proculus ait: Si medicus ſervum imperitè ſecuerit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia actionem competere, *l. Qua actione 7. in fine ff. ad legem Aquil.* Idem juris eſt, ſi medicamenta perperam uſus fuerit. *l. Idem juris 3. ff. eod.*

Ad §. Qui univerſas.

Qui univerſitas (a) *provincias regunt*, *jus gladii* (b) *habent*: *& in metallum* (c) *dandi poteſtas eis permiſſa eſt*.

a QUI *univerſas Provincias*. Ideſt, integras Provincias.
b *Jus gladii*. Ideſt, Jus vitæ noxiis adimendæ, *l. Aut damnum* 8. §. 1. *ff. de pœnis*. Deportandi autem in Inſulam jus Præſidibus Provinciæ non eſt datum, *l. Inter pœnas* 6. §. 1. *ff. de Interdic. & releg. l.* 2. §. 1. *ff. de pœnis*. Neque mirum hoc videri debet: Sæpè enim quæ meri Imperii ſunt, in eandem perſonam omnia non concurrunt. Nam merum Imperium lege datur, *l.* 1. *ff. de offic. ejus cui*, *&c.*, & lex illud dat cui vult, & in quantum vult.

c *Et in metallum dandi*. Ideſt, ad inquirendas eruendaſque venas metalli. *Vide in meis Comment. Inſtit. ad §. Pœnæ ſervus, Quib. mod. Jus pot. ſol.*

Ad §. Præſes Provinciæ.

Præſes Provinciæ, ſi multam, quam irrogavit, ex præſentibus facultatibus eorum, quibus eam dixit, redigi non poſſe deprehenderit: neceſſitatem ſolutionis moderetur, reprehenſa (a) *exactorum illicita avaritia. Remiſſa propter inopiam multa, à provincias regentibus exigi* (b) *non debet*.

a R*Eprehenſa*. Legendum, repreſſa. Bud.
b *Exigi non debet*. Licèt ille, cui propter inopiam fuit remiſſa, fiat poſtmodum ſolvendo. *Ex gl. & Bart. hic.*

Lex VII. Idem lib. 3. Opinionum.

Præſes Provinciæ, inſpectis ædificiis, dominos eorum, cauſa cognita, reficere ea (a) *compellat*: *& adverſus detrectantem, competenti* (b) *remedio, deformitati auxilium ferat*.

a RE-

a REficere ea compellat. Pertinet enim ad decus urbium ædificia non derelinqui, *l. Prætor ait* 20. §. 10. *ff. oper. nov. nunc*. Ne ſcilicèt publicus deformetur aſpectus, *l. 2. C. de ædific. priv.* Seu, ne urbes deformentur ruinis, *l. ult. ff. Ne quid in loco pub.*

b *Competenti remedio.* Quod poterit eſſe, ut moderatum ſpacium conſtituat domino, quo ædes reficiat, vel vendat.

Lex VIII. Julianus lib. 1. Digeſtorum.

Sæpè audivi (a) *Cæſarem noſtrum dicentem, hac reſcriptione, Eum, qui Provinciæ præeſt, adire potes, non imponi neceſſitatem Proconſuli, vel legato ejus, vel Præſidi Provinciæ, ſuſcipiendæ cognitionis: ſed eum æſtimare debere, ipſe cognoſcere, an Judicem dare debeat.*

a SÆpè audivi, &c. Si Imperator ad eum, qui Provinciæ præeſt, remittat ſupplicantem, hac reſcriptione: Eum qui Provinciæ præes, adire potes: Dicendum eſt hoc reſcripto non imponi neceſſitatem Proconſuli, vel Legato ejus, vel Præſidi Provinciæ, ſuſcipiendæ cognitionis per ſe ipſum: ſed eum æſtimare debere, utrùm ipſe cognoſcere, an Judicem dare debeat.

Lex IX. Calliſtratus lib. 1. de cognitionibus.

Generaliter (a), *quoties Princeps ad Præſides provinciarum remittit negotia per reſcriptiones, veluti, eum, qui provinciæ præeſt, adire poteris: vel cum hac adjectione. Is æſtimabit, quid ſit partium ſuarum: non imponitur neceſſitas, proconſuli, vel legato ſuſcipiendæ cognitionis, quamvis non ſit adjectum. Is æſtimabit, quid ſit partium ſuarum: ſed is æſtimare debet, utrùm ipſe cognoſcat, an Judicem dure debeat.*

a GEneraliter, &c. Generaliter quoties Princeps ad Præſides Provinciarum remittit negotia per reſcriptiones, veluti, Eum, qui Provinciæ præeſt adire poteris. ſive hoc reſcriptum ſit factum cum hac adjectione. Is æſtimabit, quid ſit partium ſuarum: ſive ſine hac adjectione, non imponitur neceſſitas ei, qui provinciæ præeſt, ſuſcipiendæ cognitionis per ſe ipſum: ſed is æſtimare debet, utrùm ipſe cognoſcat, an Judicem dare debeat.

Lex X. Hermogenianus lib. 2. Juris Epitomarum.

Ex omnibus (a) *cauſis, de quibus vel Præfectus Urbi, vel Præfectus Prætorio, itemque Conſules, & Prætores, cæteriſque Romæ cognoſcunt, correctorum,* (b) *& Præſidum Provinciarum eſt notio.*

Lex XI. Marcianus lib. 3. Inſtitutionum.

Omnia enim provincialia deſideria, quæ Romæ (c) *varios Judices habent, ad Officium Præſidum pertinent.*

Lex XII. Proculus lib. 4. Epiſtolarum.

Sed licèt is, qui provinciæ præeſt, omnium Romæ Magiſtratuum vice, & officio fungi debeat: non tamen ſpectandum eſt, quid Romæ (d) *factum eſt, quàm quid fieri debeat.*

a EX *omnibus cauſis, &c. Facit l. Præſes 4. l. Illicitas 6. §. Qui univerſas ff. h. t.*

b *Correctorum.* Correctores non dicuntur hoc loco, à corrigendo, ſed à conregendo, quòd Præfectis, Præſidibus, & Rectoribus darentur adiutores. Felt. hic.

c *Quæ Romæ varios Judices habent.* Erant enim Romæ varii Judices, qui de diverſis negociis Jus dicerent.

d *Quid Romæ factum eſt.* Contra id quod fieri debet: Non enim ſi quid non benè dirimatur, hoc & in aliorum Judicum

dicum vitium extendi oportet, cùm non exemplis, ſed legibus judicandum ſit, *l. Nemo 13. C. de ſent. & interloc. omn. jud.*

Lex XIII. Ulpianus lib. 7. de Officio Proconſulis.

Congruit bono, & gravi præſidi curare, ut pacata atque quieta provincia ſit, quam regit, quod non difficilè obtinebit, ſi ſollicitè agat, ut malis (a) *hominibus provincia careat eoſque* (b) *conquirat: nam & ſacrilegos, latrones* (d), *plagiarios,* (e) *fures* (f) *conquire debet, & prout quiſque deliquerit, in eum animadvertere, receptoreſque eorum coercere, ſine quibus latro* (g) *diutiùs latere non poteſt.*

a UT *malis hominibus provincia careat. Facit l. 3. ff. h. t.*
b *Eoſque conquirat.* Conquiri faciat.

c *Nam & Sacrilegos.* Sacrilegi ſunt, qui publica ſacra furantur, *l. 6. & 9. ff. ad leg. Jul. pecul.*

d *Latrones.* Ideſt, Viarum obſeſſores. *Baro hic.*

e *Plagiarios.* Plagiarii dicuntur hi, qui liberos homines, aut ſervos alienos dolo malo ſupprimunt. *Vide l. Non ſtatim 6. ff. ad leg. Fab. de plagiar. quia ex ea facilè eſt pleniùs intelligere qui ſint plagiarii.*

f *Fures.* Qui rem contrectant cauſa lucrandi, vel ipſam rem, vel ejus uſum, poſſeſſionemùe. *Vide in meis Comment. Inſt. ad §. furtum, de oblig. quæ ex delic. naſc.*

g *Sine quibus latro, &c. l. 1. ff. de receptatoribus.*

Ad §. Furioſis.

Furioſis, ſi non poſſint per neceſſarios (a) *contineri, eo remedio per Præſidem obviam eundum eſt, ſcilicèt, ut carcere continentur, & ita Divus Pius reſcripſit. Savè excutiendum Divi Fratres putaverunt in perſona ejus, qui parcidium admiſerit, utrùm ſimulato furore facinus admiſiſſet, an verò re vera compos mentis non eſſet: ut ſi ſimulaſſet, plecteretur: ſi fureret in carcere* (b) *contineretur.*

a PER

a PER *neceſſarios*. Per cognatos, aut affines.
b *In carcere contineretur*. In carcere continetur, non ad pœnam, ſed ad tutelam ejus & ſecuritatem aliorum.

Lex XIV. Macer lib. 2. de Judiciis Publicis.

Divus Marcus, & Commodus Scapulæ Tertyllo reſcripſerunt in hæc verba: Si tibi liquidò compertum eſt Ælium Priſcum in eo furore eſſe, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat: nec ſubeſt ulla ſuſpicio, matrem ab eo ſimulatione dementiæ occiſam, potes de modo pœnæ ejus diſſimulare, cùm ſatis furore ipſo (a) *puniatur, & tamen diligentius cuſtodiendus erit, ac, ſi putabis, etiam vinculo coercendus: quod non tam ad pœnam, quàm ad tutelam ejus, & ſecuritatem proximorum pertinebit. Si verò, ut plerunque adſolet, intervallis quibuſdam ſenſu ſanior eſt, nam fortè eo momento ſcelus admiſerit, nec morbo ejus danda ſit venia, diligenter explorabis: & ſi quid tale compereris, conſules nos, ut æſtimemus, an per immanitatem facinoris, ſi cùm poſſet videri ſentire, commiſerit, ſupplicio adficiendus ſit. Cùm autem ex literis tuis cognoverimus, tali eum loco atque* (b) *ordine eſſe, ut à ſuis* (c), *vel etiam in propria villa, cuſtodiatur: rectè facturus nobis videris: ſi eos, à quibus illo tempore obſervatus eſſet, vocaveris, & cauſam tantæ negligentiæ excuſſeris: & in unumquemque eorum, pro ut tibi levari, vel onerari culpa ejus videbitur, conſtitueris. Nam cuſtodes furioſis non ad hoc ſolùm adhibentur, ne quid pernicioſius ipſi in ſe moliantur, ſed ne aliis quoque exitio ſint. Quod ſi committatur, non immeritò culpæ eorum adſcribendum eſt, qui negligentiores* (d) *in officio fuerint.*

a CUM *ſatis furore ipſo puniatur*. Atque afflicto homini non ſit alia afflictio addenda.
b *Atque ordine*. Ordo hic ponitur pro eo quod vulgus ſtatum vocat. Bud.
c *Ut à ſuis*. Honeſtiores enim furioſi qui gentilitatis jus ha-

habebant, ſuorum cuſtodiæ permittebantur. Idem Bud.

d *Qui negligentiores in officio fuerint*, quiſquis enim in officio ſuo debet diligens eſſe. *l.3. C.de offic.Præf. prat.orient.*

Lex XV. Marcianus lib. 1. de Judiciis Publicis.

Illud obſervandum eſt, ne qui Provincias regit, fines ejus excedat, niſi voti ſolvendi cauſa: dum tamen (a) *abnoctare ei non liceat.*

a DUM *tamen abnoctare ei non liceat.* Non liceat ei integram noctem abeſſe.

Lex XVI. Macer lib. 1. de Officio Præſidis.

Senatus conſulto cavetur, ut de his, quæ Provincias regnantes, comites, aut libertini eorum, antequam in Provinciam venerint, contraxerunt parciſſimè jus (a) *dicatur: ita ut actiones, quæ ob eam cauſam inſtitutæ non eſſent, poſtea quàm quis eorum ea provincia excesſerit, reſtituantur.* (b) *Si quid tamen invito accidit, veluti ſi injuriam, aut furtum paſſus eſt, hactenus ei Jus dicendum eſt, ut litem* (c) *conteſtetur, reſque ablata exhibeatur, & deponatur* (d), *aut ſiſti,* (e) *exhiberive ſatiſdato promittatur.*

a PArciſſimè jus dicatur. In Urbe, quoad redierint, ne juſta abſentia eis noceat. *Cujac. ad l. Qui Juriſdictioni 10. ff. de Juriſdictione.*

b *Reſtituantur.* Si interea fuerint amiſſæ.

c *Ut litem conteſtetur.* Ne tempore, vel morte delinquentis actio pereat.

d *Et deponatur.* Ut res ſit in tuto.

e *Aut ſiſti.* Ideſt, præſentari ablata res.

Lex XVII. Celſus lib. 3. Digeſtorum.

Si fortè (a) *Præſes Provinciæ manumiſſerit, vel tutorem dederit*

derit, priuſquam cognoverit ſucceſſorem adveniſſe erunt & hæc rata.

a SI *fortè, &c.* Poteſtas Præſidis provinciæ durat ſolùm uſque ad adventum ſucceſſoris, *arg. l. Meminiſſe* 10. *ff. de offic. proconſ.* Si tamen præſes auctoritatem præſtiterit manumittenti, vel tutorem dederit, priuſquam cognoverit ſucceſſorem adveniſſe, erunt hæc rata.

Lex XVIII. Modeſtinus lib. 5. Regularum.

Plebiſcito continetur, ne quis Præſidum (a), *munus donumve caperet, niſi eſculentum poculentúmve, quod inter dies proximos prodigatur.*

a NE *quis Præſidum munus donúmve caperet, &c. Vide l. Solent* 6. §. *ult. & notata à me ibidem ff. de Offic. proconſ.* Facit illud Exodi cap. 21. *Nec accipies munera, quæ etiam excecant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.*

Lex XIX. Calliſtratus lib. 1. de cognitionibus.

Obſervandum eſt jus reddenti, ut in (a) *adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni* (b) *non patiatur, unde mandatis adjicitur, ne Præſides provinciarum in ulteriorem* (c) *familiaritatem provinciales admittant. Nam ex converſatione æquali contemptus dignitatis naſcitur.*

a IN *adeundo.* Ideſt, cùm alii, ſive in Judicio, ſive extra Judicium velint eum adire.

b *Sed contemni non patiatur. Facit l. 1. in princ. ff. de poſtulan. & l. Nec quidquam* 9. §. *Circa advocat. ff. de Offic. proconſ.*

c *In ulteriorem.* In aliis legitur: In interiorem.

Ad §. Sed & in cognoſcendo.

Sed & in (a) *cognoſcendo neque* (b) *excandeſcere adverſus eos,*

eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illachrymari oportet, id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cuius animi motum vultus detegit. Et ſummatim ita Jus reddi debet, ut auctoritatem dignitatis (d) *ingenio ſuo augeat.*

a *SEd & in cognoſcendo, &c.* Ad hunc locum pertinet quod ex Chriſippo ſcribit Gellius lib.14. cap.4. videlicèt: Judicem, qui Juſtitiæ antiſtes eſt, oportere eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem: contraque improbos, nocenteſque immiſericordem, atque inexorabilem, erectumque, & arduum, ac potentem, vi & majeſtate æquitatis, veritatiſque terrificum.

b *Neque excandeſcere.* Neque vehementius iraſci.

c *Et ſummatim.* Et brevi dictionis compendio ut rem totam complectar. Felt.

d *Ut auctoritatem dignitatis, &c. Facit l. 1. in princ. ff. de poſtulando.*

Lex XX. Papinianus lib. 1. Reſponſorum.

Legatus Cæſaris, ideſt (a), *Præſes, vel Corrector* (b) *Provinciæ, abdicando ſe* (c), *non amittit Imperium.*

a *IDeſt, Præſes.* Pro, ideſt, quidam reponunt, vel. *Vide notata ſuprà ad finem l. 1. h. t.*

b *Vel Corrector.* Hoc loco Corrector ille eſt, qui Præſidi adjutor datus eſt. Corrector dictus à conregendo. *Vide not. ad l. 10. h. t.*

c *Abdicando ſe non amittit Imperium.* Nemo enim poteſt à ſe abdicare dignitatem, quam non à ſe, ſed à Principe habeat. Ergo nec amittere Imperium, quod habet ob dignitatem, ſed utrumque debet ſolemniter deponere, & more majorum. Ex Fab.

Lex XXI. Paulus lib. ſingul. de Officio Adſeſſorum.

Præſes cùm (a) *cognoſcat de ſervo* (b) *corrupto, vel ancilla*

 de-

de virginata, vel ſervo ſtuprato: ſi actor (c) *rerum agentis corruptus eſſe dicatur, vel ejuſmodi homo, ut non ſolam* (d) *iacturam adverſus ſubſtantiam, ſed ad totius domus everſionem pertineat: ſeveriſſimè debet animadvertere.*

a CUM *cognoſcat*. In vulgatis: Cùm cognoſcit.
b *De ſervo corrupto*. De Actione ſervi corrupti vide in meis Comment. *Inſtit. ad §. In duplum, de Action. In verbo, Item ſervi corrupti*. Et nota, qnod & extra ordinem Præſes, qui cognoſcit, punire poteſt corruptorem, pro modo & qualitate corruptionis, & ſervi corrupti, ut hic. ex Barone.

c *Si actor rerum*. Si ſervus, cui dominus omnium rerum ſuarum procurationem credidit. *Theoph. ad §. pœna autem. Inſtit. de Injuriis*. Hinc apud Ulpianum, Actor, pro ſervo optimo, *in l. Legato 37. ff. de legat.* 1. In ſumma, Actor eſt majoris actus homo.

d *Ut non ſolam iacturam adverſus ſubſtantiam*. Ant. Fab. putat legẽdum: Ut non ſolùm jactura ad ſervi ſubſtantiam.

De officio Procurat. Cæſaris, vel (a) *Rationalis.*

TITULUS DECIMUSNONUS.

Lex Prima. Ulpianus lib. 6. ad Edictum.

Quæ acta (b) *geſtaque ſunt à procuratore Cæſaris, ſic ab eo* (c) *comprobantur, atque ſi à Cæſare* (d) *geſta eſſent.*

a VEl *Rationalis*. Vel, pro, Ideſt. Idem namque eſt procurator Cęſaris & Rationalis, qui ſcilicèt in Provincia judicat inter fiſcum & privatos, ut in Urbe Prætor, à Divo Nerva conſtitutus. *Cujac. hic in Paratit.* Et Rationalis appellatur, eo quod in Provinciam mittitur fiſcalium rationum cauſa.

b *Quæ acta geſtaque ſunt*. Actum generale verbum eſt: ſive verbis, ſive re quid agatur. Geſtum, rem ſignificat ſine verbis factam. *l. Labeo 19. ff. de verb. ſig.*

c *Sic*

c *Sic ab eo comprobantur*, *&c.* Dummodò diligenter, & non contra commodum Cæſaris ſint geſta, ut in *§. prox ſeq.*

d *Atque ſi à Cæſare geſta eſſent.* Hinc illud Taciti *lib. 12. de Claudio Cæſare*: Eodem anno ſæpiùs audita vox Principis, parem vim rerum habendam à procuratoribus ſuis judicaturum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet: Ac ne fortuitò prolapſus videretur, Senatus quoque conſulto cautum plenius, quàm antea, & uberius.

Ad §. Si rem Cæſaris.

Si rem Cæſarls Procurator ejus, quaſi rem propriam, tradat: non puto eum dominium transferre: tunc enim transfert, cùm negotium Cæſaris gerens, conſenſu (a) *ipſius tradit. Denique* (b) *ſi venditionis, vel donationis* (c), *vel tranſactionis* (d) *cauſa quid agat, nihil agit: non enim alienare ei rem Cæſaris, ſed diligenter gerere commiſſum eſt.*

a *Conſenſu ipſius tradit.* Semper conſenſum Cæſaris dicemus adfuiſſe, ſi procurator agat ex officio & ſecundum id, quod ad ejus curam & ſollicitudinem pertinet. Felt. hic.

b *Denique ſi venditionis.* Fructus tamen, aut alias res, quæ corrumpi facilè poſſunt, vendere poteſt, *l. Procurator 63. ff. de procurat.*

c *Vel donationis.* Neque is, qui liberam adminiſtrationem habet, donare poteſt. Non enim ad hoc ei conceditur libera adminiſtratio, ut perdat, *l. filiusfamilias 7. in princ. ff. de donation.*

d *Vel tranſactionis cauſa.* Nulli enim procuratorum Principis, inconſulto Principe, tranſigere licet. *l. nulli 13. ff. de Tranſact.*

Ad §. Eſt hoc.

Eſt hoc (a) *præcipuum in Procuratore Cæſaris, quod & ejus juſſu ſervus Cæſaris adire hæreditatem poteſt: Et ſi Cæſar* (b) *hæres inſtituatur, miſcendo ſe opulentæ* (c) *hæreditati procurator hæredem Cæſarem facit.*

a EST *hoc proprium, &c.* Servus Cæſaris, ſi hæres inſtituatur, poteſt juſſu procuratoris Cæſaris adire hæreditatem. *Tex. hic. l. Aufertur* 46. *§. Servus Cæſaris ff. de Jure fiſci.* Et hoc ſpeciale eſt in Procuratore Cæſaris.

b *Et ſi Cæſar, &c.* Si Cæſar hæres inſtituatur, procurator ejus, miſcendo ſe opulentæ hęreditati hæredẽ Cæſarem facit. Et hoc ſimiliter ſpeciale eſt in Procuratore Cæſaris, ut hic in tex. Diverſum igitur eſt in procuratore alicujus privati, per quem non poteſt adquiri hæreditas, *l. Per procuratorem* 90. *ff. de acquir. hæred. l. Actus legitimi* 77. *juncta l. Nemo* 123. *ff. de reg. Jur. Cuiac. ad d. l. Actus legitimi, & Obſervat. lib.* 1. *cap.* 34. *Ant. Fab. ad tex. noſt. Contius Lect. Subſec. lib.* 2. *cap.* 17.

c *Opulentæ hæreditati.* Quòd ſi hæreditas ſolvendo non ſit, conſulitur Imperator, ut in prox. ſeq. lege.

Lex II. Paulus lib. 5. Sententiarum.

Quòd ſi ea bona, ex quibus Imperator hæres inſtitutus eſt, ſolvendo non ſint, re perſpecta, conſulitur (a) *Imperator: hæredis enim inſtituti, in adeundis, vel repudiandis huiuſmodi hæreditatibus, voluntas exploranda eſt.*

a COnſulitur *Imperator.* Ideſt, Imperatoris hæredis inſtituti voluntas exquiritur & exploratur, ut verba ſequentia textus demonſtrant.

Lex III. Calliſtratus lib. 6. de Cognationibus.

Curatores (a) *Cæſaris jus deportandi* (b) *non habent: quia hujus* (c) *pœnæ conſtituendæ jus non habent.*

a CUratores. Ideſt, Procuratores, ſeu Rationales.

b *Jus deportandi non habent.* Deportandi, vel relegandi, vel alterius pœnæ inferendæ, aut etiam multæ dicendæ, Procuratores Cæſaris Jus non habent.. *Tex. hic juncta, l.* 2. *C. de pœnis, & l.* 2. *C. de modo multarum.* Data enim eis fuit Juriſdictio inter fiſcum, & privatos in cauſis fiſcalibus

bus pecuniariis, non in cauſis criminalibus, niſi cum fungebantur Vice-Præſidum. *Vide Cuiac. Obſervat. lib.*19*.cap.*13.

c *Quia hujus pœna, &c.* Quia deportationis pœnæ conſtituendæ Jus eis datum non eſt. Et Jus deportandi non habent niſi ii, quibus id ſpecialiter datum eſt, *l. Inter pœnas* 6. §. 1. *ff. de Interdic. & releg. Vide notata ſuprà ad lib. Illicitas* 6. §. *Qui univerſas ff. de Offic. Præſid.*

Ad §. Si tamen.

Si tamen (a), *quaſi tumultuoſum, vel injurioſum adverſus colonos Cæſaris, prohibuerint in prædia Cæſariana accedere: abſtinere debebit, idque Divus Pius Julio reſcripſit.*

Ad §. Ultimum.

Deinde neque redire cui quam permittere poſſunt: idque Imperatores noſtri Severius, & Antoninus ad libellum Hermiæ reſcripſerunt.

a SI *tamen, &c.* Procurator Cæſaris poteſt tumultuoſum vel injurioſum adverſus colonos Cæſaris, prohibere in prædia Cæſariana accedere: ſed non poteſt poſteà ei permittere ut ad ea redeat.

De Officio (a) *Juridici.*

TITULUS VIGESIMUS.

Lex Prima. Ulpianus lib. 26. ad Sabinum.

Adoptare (b) *quis apud Juridicum poteſt: quia data eſt ei* (c) *legis actio.*

a DE *Officio Juridici.* Juridicus, de quo agitur hoc Titulo, eſt Juridicus Alexandriæ, quæ primaria Urbus erat totius Ægypti. Et etiam in Cod. habemus Tit. de officio Juridici Alexandriæ. Igitur Juridicus Alexandriæ dicebatur, qui Alexandriæ Juridicundo tàm præerat, quàm

Præ-

Prætor Urbanus Romæ. Et quamvis Juridicus Præfecto Ægypti minor eſſet, tamen amoveri à Præfecto non poterat: quia non ab eo, ſed à Principe datus erat.

b *Adoptare, &c.* Adoptare quis poteſt apud Juridicum. Non habet tamen hoc Jus Juridicus vi propriæ Juriſdictionis, ſed quia nominatim ei datum eſt.

c *Quia data eſt ei legis actio.* Adoptio eſt Actus legitimus, ſeu legis Actio. Quia igitur data eſt Juridico legis Actio: ideo adoptare quis poteſt apud Juridicum. Legis actiones ſolemnitatem Juris deſiderant, & fiunt certis conceptiſque verbis. Et hodie verba ſolemnia, licèt non dicantur, ut dicta accipiuntur, *l. Manumiſſio 23. ff. de Manumiſſ. vindic.*

Lex II. Idem lib. 93. ad Sabinum.

Juridico, qui Alexandriæ agit, datio (a) *Tutoris Conſtitutione* (b) *Divi Marci conceſſa eſt.*

a DATIO *Tutoris.* Datio Tutoris facta à Magiſtratu eſt actus legitimus, *l. Actus legitimi 77. ff. de reg. Juris. Ideòque ei ſoli competit, &c. ut in ſeq. not.*

b *Conſtitutione Divi Marci conceſſa eſt.* Datio enim Tutoris ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatus Conſultum, vel Principes, *l. Muto 6. §. Tutoris datio ff. de Tutelis.* Non habet igitur Juridicus hoc Jus quatenus Juridicus eſt, ſed quia Conſtitutione Divi Marci ei datum eſt.

De Officio (a) *eius, cui mandata eſt Juriſdictio.*

TITULUS VIGESIMUSPRIMUS.

Lex Prima Papinianus lib. 1. Quæſtionum.

Quæcunque (b) *ſpecialiter* (c) *lege, vel Senatus conſulto, vel Conſtitutione Principum tribuuntur, mandata* (d) *Juriſdictione non transferuntur: quæ verò jure* (e) *magiſtratus competunt, mandari poſſunt. Et ideo videntur errare magiſtra-*

giſtratus, qui cùm publici (f) *judicii habeant exercitionem lege, vel Senatus Conſulto delegatam* (*veluti legis* (g) *Juliæ de adulteriis, & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles*) *juriſdictionem* (h) *ſuam mandant. Hujus rei fortiſſimum argumentum, quòd lege Julia* (i) *de vi nominatim cavetur, ut is cui obtigerit exercitio, poſſit eam, ſi proficiſcatur, mandare. Non aliter itaque* (k) *mandare poterit, quàm ſi abeſſe* (l) *cœperit: Cum aliàs juriſdictio etiam à præſente mandetur. Et, ſi à familia dominus occiſus eſſe dicetur, cognitionem prætor, quam ex Senatus Conſulto* (m) *habet, mandare non poterit.*

a DE *Officio eius, &c.* Quia ſolent Magiſtratus, de quibus ſuprà dictum eſt, Juriſdictionem mandare, aut omnem, aut unam aliquam ejus ſpeciem: Ideò nunc de Officio ejus, cui mandata eſt Juriſdictio, videndum eſt. Juriſdictio autem eſt notio & definitio cauſarum, quæ magiſtratui proprio jure competit *l. Notionem 99. ff. de Verb. ſig. l. Ait prætor 5. ff. de re Judic. Cuiac. ad l. 1. ff. de Juriſdic. om. Jud* Igitur proprio Jure, Juriſdictionem habet Magiſtratus quicunque: Alterius verò beneficio, qui mandatam habet. Et not quod aliud eſt mandare Juriſdictionem, aliud Judicem dare. Mandare ſiquidem Juriſdictionem dicitur, qui omnem in univerſum, vel ſpeciem unam Juriſdictionis alteri cōmittit. Judicem verò dare eſt, in controverſia certorum privatorum Juris reddendi poteſtatem, alteri facere. Cor. hic.

b *Quæcunque, &c.* Quæcunque ſpecialiter lege, vel Senatus Conſulto, vel Conſtitutione Principum tribuuntur, mandata Juriſdictione non transferuntur: Quia ſeparata ſunt à Juriſdictione, ideſt, non jure Magiſtratus competunt, ſed ſpecialiter lege dantur. Igitur merum Imperium, quod lege datur, mandata Juriſdictione, non poteſt tranſire: Quæ verò Jure magiſtratus competunt, mandari poſſunt. Juriſdictio mandatur, mixtum Imperium, quod Juriſdictioni cohæret, mandatur: quia hæc ſuo Jure Magiſtratus habet. Merum Imperium ſuo Jure non habet. *Tex. hic, & in §. prox. ſeq. Vide notata à me ad l. Nemo poteſt 70. ff.*

de

de reg. Jur. Sed & quædam ſunt cauſæ, quæ neque Imperii ſunt, neque Juriſdictionis, ut Tutoris datio, ei ſoli competens, cui nominatim hoc dedit, vel lex, vel Senatus Conſultum, vel Princeps, *l. Muto 6. §. Tutoris datio ff. de Tutelis*. Unde nec demandatur. *l. Nec mandante 8. ff. de Tutor. & curat. datis ab his, &c.*

c *Specialiter*. Nominatim, & in ſpecie: Seu, ut explicat. *Baro, Jure ſpeciali*.

d *Mandata juriſdictione non transferuntur*. Non ſolùm mandata generaliter Juriſdictione non transferuntur: ſed neque ſpecialiter mandari poſſunt.

e *Quæ verò Jure magiſtratus competunt, &c.* Jure Magiſtratus competere dicuntur, quæ non aliquo ſpeciali Jure habent magiſtratns, ſed Jure communi, & uſitato more majorum tanquam magiſtratus.

f *Publici Judicii*. Poblica Judicia, publica dicta ſunt, quòd cuilibet ex populo iis plerunque experiri licet *§. Publica autem, Inſtit. de pub. Jud.*

g *Veluti legis Juliæ de adulteriis*. Hæc lex lata eſtà Divo Auguſto, ut diſertè ſcribit Ulpianus in *l. 1. ff. ad leg. Jul. de adult. & Suet. In Auguſto cap.* 34. Sed dicta fuit Julia, quia & Auguſtus Julius quoque dictus eſt teſtamenro Julii Cæſaris majoris avunculi adoptatus, ut idem Suetonius in Augoſto cap. 7. teſtatur.

h *Juriſdictionem ſuam mandant*. Ideſt, exercitationem illam publici Judicii, quæ iis ſpecialiter delegata eſt.

i *Lege Julia de vi*. Hæc lex lata fuit, vel à Julio Cæſare Dictatore, ut Manutio placet, vel ab Auguſto, ut quidam alii ſcribunt. De ea plenè dixi in meis *Comment. Inſtit. ad §. Item lex Julia de vi, de publicis Judiciis*.

k *Non aliter itaque mandare poterit*. Cognitionem videlicèt eorum, quæ ſpecialiter lege, vel Senatus Conſulto, vel Conſtitutione Principum tribuuntur.

l *Quàm ſi abeſſe cœperit*. Vel infirmitate, aut alia juſta, & neceſſaria cauſa impeditus ſit. Neceſſitas enim facit licitum, quod alioquin illicitum eſſet. *l. Alienationes 13. ff. famil.*

famil. erciſ. l. Sed & ſi 26. §. ult. ff. Ex quib. cauſ. major.

m *Ex Senatus Conſulto. Syllaniano, l. 1. in princ. ff. ad Senat. Conſ. Syll.*

Ad §. Qui mandatam.

Qui mandatam (a) *juriſdictionem ſuſcipit, proprium nihil habet: ſed ejus: qui mandavit, juriſdictione utitur. Verius eſt enim, more majorum, juriſdictionem* (b) *quidem transferri: ſed merum* (c) *Imperium, quod lege* (d) *datur, non poſſe tranſire. Quare nemo dicit animadverſionem* (e) *legatum proconſulis* (f) *habere, mandata Juriſdictione. Paulus notat: & imperium,* (g) *quod Juriſdictioni cohaeret, mandata Juriſdictione tranſire verius eſt.*

a QUI *mandatam, &c.* Qui mandatam Juriſdictionem ſuſcipit, proprium nihil habet. Ideſt, neque Jure magiſtratus, neque ex ſpeciali legis conceſſione quidquam habet: ſed ejus, qui mandavit, Juriſdictione utitur: hoc eſt, ea auctoritate, quæ Jure communi, ſolet magiſtratibus competere, nimirùm de civilibus cauſis cognoſcendi, & ad ejus cognitionis, judiciiqúe effectum coercendi. Veriùs eſt enim more majorum, eam quidem Juriſdictionem, ſeu auctoritatem transferri, non etiam merum Imperium, quod ſpecialiter lege datur. Quarenemo dicit animadverſionem majorem, quam merum Imperium vocamus legatum Proconſulis habere, mandata Juriſdictione: Mixtum verò Imperium, quod Juriſdictioni cohæret, mandata Juriſdictione tranſire verius eſt: quia ſine eo, ideſt, ſine modica coercitione, Juriſdictio non facile poſſet explicari. *Tex. hic, l. 3. & ult. §. ult. ff. h. t.*

b *Juriſdictionem quidem transferri.* Mandantis nomine, & imperio exequendam. *l. 3. ff h. t.*

c *Sed merum imperium.* Merum Imperium conſiſtit in gladii poteſtate, & qualibet gravi animadverſione in facinoroſos homines. *l. 3. ff. de Juriſdic. omn. jud. l. ſi quid erit 11. ff. de offi. Proconſ. Vide l. Nemo poteſt 70. cum notatis à me ibidem ff. de reg. Jur.*

d *Quod lege datur*. Specialiter, ut dictum eſt ſuprà.

e *Animadverſionem*. Majorem, quæ in mero Imperio conſiſtit.

f *Legatum proconſulis habere*. Objici poſſe videtur, *l.* 1. *C. de Offic. proconſ.* Ubi dicitur, quod legatus proconſulis non ſolùm civiles, ſed etiam criminales cauſas audit. Sed ℞. hoc genus mandati extraordinarium eſſe, *l. ſolet 6. ff. de offic. Proconſ.*. *Vide not. à me ad eand. l. 6.*

g *Et imperium, quod Jùriſdictioni cohæret*. Et Imperium mixtum: Quod cōſiſtit in modica coercitione, *l. ult. §. ult. h. t.*

Lex II. Ulpianus lib. 3. de omnibus Tribunalibus.

Mandata (a) *juriſdictione à Præſide, conſilium non poteſt exercere is, cui mandatur.*

a MAndata, *&c.* Mandata juriſdictione à Præſide, is, cui mandatur, non poteſt conſilium exercere. Ideſt, non non poteſt cogere ac convocare conſeſſum eorum, qui cauſas arduas cum Præſide cognoſcunt.

Ad §. Si Tutores.

Si Tutores (a) *vel curatores velint prædia vendere; cauſa cognita id prætor vel Præſes permittat, quòd ſi mandaverit juriſdictionem, nequaquam poterit, mandata juriſdictione, eam quæſtionem transferre.*

a SI Tutores, *&c.* Si tutores, vel curatores velint vendere prædia pupillorum, vel minorum, cauſa cognita id prætor in Urbe, vel præſes in provincia permittere debet, quod ſi prætor, vel præſes mandaverit Juriſdictionem, nequaquam poterit, mandata juriſdictione, eam quæſtionem transferre. Quia ſpecialiter Prætori in Urbe, & Præſidi in provincia totum hoc negotium ſit commiſſum, *l.* 1. *C. de præd. & aliis reb. minor. l.* 1. *&* 5. *§. non poſſim. ff. de reb. eor. qui ſub. tut. &c.*

Lex III. Julianus lib. 5. Digeſtorum.

Etſi prætor (a) *ſit is, qui alienam juriſdictionem exequitur,*

non

non tamen pro ſuo (b) *imperio, agit, ſed pro eo, cujus mandatu jus dicit, quoties partibus ejus fungitur.*

a E*T ſi prætor, &c.* Delegatus, licèt aliàs ſit ordinarius: tamen vice-delegâtis fungitur in cauſa delegata. *Bart.*
b *Pro ſuo imperio.* Pro ſua auctoritate.

Lex IV. Macer lib. 1. de Officio Præſidis.

Cognitio (a) *de ſuſpectis tutoribus mandari poteſt, immo etiam ex mandata generali juriſdictione, propter utilitatem pupillorum, eam contingere conſtitutum eſt in hæc verba: Imperatores Severus, & Antoninus Braduæ Proconſuli Africæ: Cùm propriam juriſdictionem legatis tuis dederis, conſequens eſt,* (b) *ut etiam de ſuſpectis tutoribus poſſint cognoſcere.*

a C*Ognitio, &c.* Civilis cognitio de ſuſpectis tutoribus, eorundemque remotio mandari poteſt, non ſolùm à Proconſule, de quo fit mentio in hac lege, ſed etiam à Prætore, *l. 1. §. Damus ff. de ſuſpect. Tut.* Imò etiam ex mandata generali Juriſdictione, propter utilitatem, pupillorum, eam mandatam videri conſtitutum eſt, ut ſequitur hic. in textu. Criminalis verò accuſatio mandari nequit. *l. 1. §. Suſpecti ff. ad Senat. Conſ. Turpil.*

b *Conſequens eſt, ut etiam de ſuſpectis, &c.* Nihil igitur eſt ſpeciale in legato proconſulis: cùm in eum vi mandatæ Juriſdictionis hoc tranſeat: & is, cui Prætor Juriſdictionem mandavit, idem juris habeat, ex Pac.

Ad §. Ut poſſeſſio bonorum.

Ut poſſeſſio (a) *bonorum detur; vel, ſi cui damni infecti non caveatur, ut is poſſedere jubeatur: aut ventris nomine in poſſeſſionem mulier, vel is, cui legatum eſt, legatorum ſervandorum cauſa in poſſeſſionem mittatur, mandari poteſt.*

a U*T poſſeſſio bonorum detur, &c.* Ipſum cognoſcere, ipſumque pronunciare, an quis ſit in poſſeſſionem

 mit-

mittendus, nec ne, item ipſum mittere ſeu committere notorio, & familiæ, ut mittat quem in poſſeſſionem, poſſe mandari, ſive poſſeſſio tribuat jus, ſive non, manifeſtè apparet in hoc *§. ut declarat Vacon. à Vacuna Declarat. Jur. Civ. lib. 6. cap. 80. Ubi etiam Reſp. ad ea, quæ in contrarium à DD. adducuntur.*

b *In poſſeſſionem mittatur*. Hoc eſt, re ipſa mittatur.

c *Mandari poteſt*. Ea enim ſolùm mandari non poſſunt, quæ ſpecialiter lege, Senatus Conſulto, vel Conſtitutione Principum tribuuntur. *l. 1. ff. h. t.*

Lex V. Paulus lib. 18. ad Plautium.

Mandatam (a) *ſibi juriſdictionem mandare alteri neminem* (b) *poſſe manifeſtum eſt.*

a Mandatam, &c. Mandatam ſibi juriſdictionem mandare alteri nemo poteſt. More enim majorum ita comparatum eſt, ut is demum juriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo jure, non alieno beneficio haberet, *l. More majorum 5. ff. de Juriſdic. omn. Jud.* Judicem tamen dare poteſt is quoque, cui mandata eſt Juriſdictio, *l. Cùm prætor 12. §. Is quoque ff. de Judic. Vide not. ſuprà ad Rub.*

b *Neminem poſſe*. Al. Non poſſe.

Ad §. Mandata.

Mandata juriſdictione (a) *privato, etiam* (b) *imperium, quod non eſt merum, videtur mandari, quia juriſdictio, ſine modica* (c) *coërcitione, nulla* (d) *eſt.*

a *Mandata juriſdictione privato*. Juriſdictio Mandari poteſt Magiſtratui, *l. 3. ff. h. t.* Poteſt & privato, ut hoc loco. Meminit autem potiùs hic privati Paulus, quod in eo major eſſet dubitatio: & quia frequentius eſt, ut Juriſdictio mandetur privatis. Non quod à contrario velit diverſum eſſe in mandata Juriſdictione Magiſtratui. Cor.

b *Etiam imperium, quod non eſt merum*. Etiam imperium mixtum.

c *Sine*

c *Sine modica coercitione*. Item nec ſine cæteris, ſine quibus juriſdictio exerceri non poteſt, ut ſunt pignoris capio, corporis detentio, multæ dictio. Cujac. hic.

d *Nulla eſt*. Non facilè poteſt explicari. *Vide notata ſuprà ad §. ult. l. 1. h. t.* In Verbo, qui mandatam.

De Officio (a) *Aſſeſſorum*.

TITULUS VIGESIMUSSECUNDUS.

Lex Prima. Paulus lib. Singulari de Officio Aſſeſſorum.

Omne Officium Aſſeſſorum, quo Juris (b) *ſtudioſi partibus ſuis funguntur, in his ferè cauſis conſtat: in cognitionibus* (c), *poſtulationibus* (d), *libellis* (e) *edictis* (f) *decretis, epiſtolis.*

a DE *Officio aſſeſſorum*. Aſſeſſores ſunt Conſiliarii Magiſtratuum Urbanorum, vel Provincialium: ſeu Juriſprudentes, qui conſiliis ſuis Judices adjuvant. Ab aſſidendo, aſſeſſores dicuntur: aſſiſtunt enim Magiſtratibus, ſeu Judicibus, ut eis de Jure conſilium dent. Ideoque etiam Conſiliarii appellantur, *l. Conſiliarios 3. C. de aſſeſſor. l. Conſiliariis 5. ff. h. t.*

b *Juris ſtudioſi*. Juris periti, ſeu Juris profeſſores.

c *In cognitionibus*. Cauſarum civilium, & criminalium, ut eis, quibus aſſident, Jus indicent. *Ex gl. hic*

d *Poſtulationibus*. In poſtulationibus litigantium audiendis.

e *Libellis*. Sunt libelli ſupplicationes, quæ ſcripto offeruntur Superiori. Non tamen aſſeſſores libellis ſubſcribere poſſunt, ſed Magiſtratus ſubſcribunt, *l. 2. C. de aſſeſſo. De libellis Vide notata ſuprà ad §. Ubi Decretum in l. Nec quidquam 9. ff. de Offic. Proconſ.*

f *Edictis, decretis, epiſtolis*. In quibus omnibus conſilio eſt opus. Edictum autem eſt quidquid ex ſua natura motus Princeps, vel Magiſtratus ſtatuit ad honeſtatem & utilita-

litatem ſubditorum. Ex Theoph. Decretum hoc loco eſt auctoritatis interpoſitio, cauſa cognita, ſuper eo, quod petitum eſt, facta à Magiſtratu: ut in alienatione rerum minoris. *l.2. §.1. de offic. ejus, cujus mand. eſt Iuriſdict.* Epiſtolæ ſunt literæ Magiſtratus de re quapiam dubia ad Principem ſcriptæ: vel literæ Principis ea de re ad Magiſtratus reſcribentis.

Lex II. Marcianus lib. 1. de Judiciis Publicis.

Liberti aſſidere (a) *poſſunt. Infames autem licet non prohibeantur legibus aſſidere, attamen arbitror (ut aliquo quoque decreto* (b) *Principali refertur conſtitutum) non poſſe* (c) *officio aſſeſſoris fungi.*

a *Aſſidere poſſunt.* Poſſunt officio aſſeſſoris fungi. Poſſunt etiam poſtulare. *l. 2. C. de poſtulando.*

b *Decreto Principali.* Decreto Principis.

c *Non poſſe officio aſſeſſoris fungi.* *Facit l. 2. C. de dignitat. lib. 12.* Arbitri tamen eſſe poſſunt, *l. Pedius 7. in princ. ff. de recept. arbit. Et procuratores. §. ult. Inſt. de except.*

Lex III. Macer lib. 1. de Officio Præſidis.

Si eadem Provincia, poſtea diviſa, ſub duobus Præſidibus conſtituta eſt, veluti Germania, Myſia: ex altera ortus, in altera aſſidebit, nec videtur in ſua (a) *Provincia aſſediſſe.*

a *Nec videtur in ſua Provincia aſſediſſe.* Non videtur peccaſſe contra legem, quæ vetat, ne quis in ſua provincia Præſidi aſſideat ultra menſes quatuor, *l. In conſiliariis 10. C. de Aſſeſſoribus, l. hi qui 37. & l. 38. ff. ex quib. cau. major.*

Lex IV. Papinianus lib. 4. Reſponſorum.

Diem functo (a) *legato* (b) *Cæſaris, ſalarium comitibus* (c) *reſidui temporis, quod legatis* (d) *præſtitutum eſt, debetur* (e)*: modò ſi non poſtea* (f) *comites cum aliis eodem tempore fuerunt:*

runt. Diverſum in eo ſervatur (g), *qui ſucceſſorem ante tempus accepit.*

a D*Iem functo,&c. l.Sed addes* 19. *§.ult. ff.locati conducti.*
b *Legato Cæſaris.* Legatus Cæſaris, is erat, qui in Provinciam à Cæſare mittebatur, ut cum ſumma præeſſet poteſtate. *Vide not. ſuprà ad finem l.* 1. *ff. de offic. Præſid.*

c *Comitibus*. Ejuſdem legati.

d *Quod legatis præſtitutum eſt*. Sic legi debet, ut verbum hoc præſtitutum, referatur ad tempus legatis præſtitutum, ideſt, præfinitum. Bud. hic.

e *Debetur.* Cùm per eos non ſteterit, quominus inſervirent.

f *Modò ſi non poſtea comites cum aliis, &c.* Tunc enim ceſſat eorum intereſſe, cùm ſalarium accipiant aliundè.

g *Diverſum in eo ſervatur, qui ſucceſſorem, &c.* Quando enim legato Cæſaris, aut alteri præſidi ante tempus ſucceſſor datur, non fit id, niſi cum ipſius contumelia, & ob perverſos mores: quapropter & omnes qui ab eo electi ſunt, decidunt, quoniam ab improbo ſunt delecti: in morte non ita eſt. *Alciat. Diſpunct. lib.*4. *cap.*20.

Lex V. Paulus lib. 1. Sententiarum.

Conſiliariis (a), *eo tempore quo aſſident, negotia tractare in ſuum quidem auditorium* (b) *nullo modo conceſſum eſt: in alienum autem non prohibentur.*

a C*Onſiliariis, &c.* Ideſt, Aſſeſſoribus. Erant enim Aſſeſſores Conſiliarii Magiſtratuum, ut diximus ſuprà ad Rub. Vult autem Paulus in hac lege, Aſſeſſores non poſſe ſua tractare negotia, eo quo aſſident tempore, in auditorio Prætoris, vel Præſidis, cujus ſunt Aſſeſſores.

b *Auditorium.* Auditorium ſignificat locum, in quo lites, & Judicia exercentur, forenſeſque cauſæ controvertuntur, audiuntur, & dirimuntur. Ex Cor.

Lex VI. Papinianus lib. 1. Reſponſorum.

In conſilium (a) *curatoris* (b) *Reipublicæ vir ejuſdem Civitatis adſidere non prohibetur: quia publico ſalario non fruitur.*

a IN *conſilium curatoris Reipublicæ*, *&c.* Pro intelligentia hujus legis ſciendum in Municipiis electos olim ex Decurionibus viros, qui Curatores Reipublicæ appellati ſunt, propterea quod ea quæ ad ejus Reipublicæ decorem & neceſſitatem pertinerent, ſolicitè curare deberent: veluti ut diruta ædificia reficerentur: ut annona undique in uſum Civitatis deferretur. *l. Lucius 47. §. Sempronii ff. de adminiſt. tutor. l. ad curatores 46. ff. de damn. infec. Cor. hic.* Si ergo ex Decvrionibus Civitatis hujuſmodi Curatores ſunt creati, Vir ejuſdem Civitatis in eorum conſilium aſſidere non prohibetur. Neque obſtat ſi dicatur, neminem in ſua Provincia aſſidere poſſe, nedum in ſua Civitate, *l. 3. ff. b. t.* Nam R. hoc pertinere ad eos, qui ſalario publico fruuntur, *l. 4. ff. eod.* At is qui aſſidet Curatori Reipublicæ, publico ſalario non fruitur, ut hic in textu. *Ex Fab.*

b *Curatoris Reipublicæ*. Curator Reipublicæ accipitur hic pro Curatore Civitatis, ut verba ſequentia demonſtrant: vir ejuſdem Civitatis, &c.

Publ. J. Joseph Lic. Berlisas. [illegible]

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-